CAROLI FERD. HOMMELII

IVRISPRVDENTIA
NVMISMATIBVS
ILLVSTRATA

NEC NON

SIGILLIS GEMMIS

ALIISQVE

PICTVRIS VETVSTIS

VARIE EXORNATA



LIBRI DVO

LIPSIAE
APVD IOANNEM WENDLERVM
MDCCLXIII.



SERENISSIMAE

PRINCIPI REGIAE

DOMINAE

LONGE CLEMENTISSIMAE

MARIAE ANTONIAE WALPVRGI

SVAE REGALIS CELSITVDINIS

POLONIARVM PRINCIPIS REGII

ATQVE

SAXONIAE HEREDIS

CONIVGI

PIAE DOCTAE INCLVTAE

MVSARVM ALMAE

TVTRICI

SACRVM.

SERENISSIMA

ET

REGIA PRINCEPS

DOMINA

LONGE CLEMENTISSIMA

Has venerandas antiquitatis reliquias REGIAE TVAE CELSITVDINI

 supplex

ſupplex conſecrare audeo, non propterea, quod foemina Saxoniarum princeps et Imperatoris filia, nec quoniam Regis nurus et ipſa aliquando (ſic enim auguria volunt) regina futura es, ſed quoniam in TE litterarum, quas didiciſti, tutelam doctamque ERMELINDAM *devotiſſime colimus et ſancte veneramur. O felicem patriam ſalvasque litteras, ſi* TV, CELSISSIMA ET REGIA PRINCEPS, *ſi* TV *ſcholarum veneranda mater, ſimul cum Sereniſſimo Conjuge*

FRI-

FRIDERICO CHRISTIANO, *cui ego aedem, (nam Apolline is mihi ſanctior) atque altaria in pectore jam dudum conſecravi, quam diutiſſime ſalva ſis. Deus VOS ſervet patriae clariſſima ſidera et litteris ſalutaria! Neque enim princeps in orbe melior quisquam FRIDERICO CHRISTIANO, neque foemina inter omnes, quae vivunt, doctior ERMELINDA. Rogo autem, DOMINA, vt TV inprimis ſtudia mea et memet ipſum potenter tuearis,*

 custo-

custodias, protegas et ab omni calumnia sincerum integrumque conserves!

SERENISSIMA
PRINCEPS REGIA
DOMINA
LONGE CLEMENTISSIMA

REGIAE CELSITVDINI TVAE

devotissimus
CAROLVS FERD. HOMMEL.

PRAEFATIO.

Operis iam aliquoties promissi et duodecim annorum pertinaci studio collecti principium tandem in publicum prodire iubeo, invidorum quidem opinione et lividulorum quorundam, qui satis acerbe: me pollicitationes meras mussitare et vanis promissis publicum fallere exprobrarunt, serius, sed mea voluntate citius. Vereor autem, non hos solum sed faventes etiam amicos, aliosque elegantes harum rerum iudices, statim in libelli huius fronte reprehensuros esse, quod non, sicuti promiseram: *Nummorum ex iurisprudentia illustratorum* potius,

 quam,

quam ut feci: *Iurisprudentiae Numismatibus illustratae* titulum inſcripſerim, cum manifeſtum ſit, quae monumenta congeſſimus, ea maiorem ex iureconſultorum libris, quam hos ex illis, lucem accipere. Reprehendent etiam rerum propoſitarum ordinem, quem nullum me fateor ſervaſſe, ſed rem, vt quaelibet prima in manus venit, in chartam conieciſſe. Ne tamen forte quis exiſtimaverit, fieri non poſſe, vt materia in libello hinc inde vario modo diſperſa ſuis atque idoneis titulis ordinatim diſtinguatur, nos initio ſtatim quoddam quaſi repertorium adiiciendum putauimus, vt huius ope et miniſterio is, cui non omnia euoluere atque perlegere placeat, ſibi ſoli vtilia in numerato accipiat. Ecce igitur:



LEGES IN NVMMIS MEMORATAE.



IVS CANONICVM.

IVS CRIMINALE.

Vide Poenas et Crimina.

IVS

IVS FEODALE.

Comitatus an beneficia vexillaria? Monum. LXXX. LXXXI. LXXXII. et LXXXIII. LXXXIV.

Feodum Ligium. Monum. CVII.

Hominium regi Galliae praestitum Seculo XIV. Monum. LXVII. et LXVIII.

Investitura cum vexillis. Monum. LXXIV. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV.

Investitura ducis Lotharingiae. Monum. CVII.

— — *Friderici.* Monum. LXXIX.

— — *Alberti.* Monum. LXXVIII.

Imperium an beneficium pontificis? Monum. XLIII.

Servitia a vasallis praestita. Monum. XXI. XXII.

IVS GERMANICVM.

Colossi iurisdictionis in Germania indices. Monum. XCVII.

Computatio graduum Germanica. Monum. XXXVII.

Consacramentales. Monum. LIII.

Duellum Iudiciale. Monum. XXV. et XLVI.

Ordalia. Monum. XXV. et XLVI.

Rei

IVS NATVRAE.

IVS PVBLICVM.

Posta-

Postarum antiquitas. Monum. CV.
Reginae publice pariunt. Monum. XLIV.
Regna adsignata. Monum. XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCV. et XCVI.
Titulus Semper Augusti quando coeperit? Monum. LXI.
Vectigalia populi Romani. Monum. LI. CIII. CIV. CV.

DII TVTELARES IVRISPRVDENTIAE.

Aequitas. Monum. LXXXVIII. et LXXXIX.
Iustitia. Monum. I.

MAGISTRATVS.

Censores. Monum. XCIX. C. CI. et CII.
Comites. Monum. LXXIV. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV.

POENAE ET CRIMINA.

Abigei. Monum. XXXI.
Adulterii poena. Monum. III.
Aleatorum incommoda. Monum. XXIV.
Calumniatores. Monum. X. et XI.
Decalvatio. Monum. XV.

Edictum

TRIBVTA ET VECTIGALIA.

IVDEX ET IVDICIA.

Rota

Rota, cur supremum pontificis iudicium dicatur? Monum. LVIII. LIX. LX.

Tribunal praetoris Romani. Monum. VI. VII.

Sententia absolutoria et condemnatoria. Monum. XXXVIII. XXXIX.

LEGISLATORES CELEBRES.

Zaleucus. Monum. III.

Numa. Monum. LIV.

HERALDICA.

Aquila imperii biceps Graecorum. Monum. L.

Alia insignia imperii. Monum. XLV.

Galearum ornamenta frondosa. Monum. CIX. CX.

Insignia Romanorum loquentia. Monum. XXIII. LXII. LXXIII. LXIV. LXV. LXVI. et LXVII.

RITVS ET SYMBOLA IVRIS.

Comitia, tabulae diribitores, ovilia, pontes. Monum. XXXVIII. XXXIX. CXV. CXVI.

Duellum iudiciale. Monum. XXV. XLVI.

Investiturarum. vide ius Feodale.

Ius jurandum. Monum. LIII.

Legitimatio per pallium. Monum. LXXXVII.

 Legiti-

Legitimatio per oblationem curiae coelesti. Monum. LXXXVII.
Manumissio per vindictam. Monum. XX.
Traditio per chirothecam. Monum. CVI.
— — *per ostium.* Monum. CXIII.
— — *per ramum.* Monum. XCVIII.
Vindicatio equi. Monum. LXXIV.

IVRIS CONSVLTI.

Aelius Catus. Monum. LXXV.
Aelius Tubero. Monum. LXXVI.
Alfenus Varus. Monum. LXXI.
Capito. Monum. LXXVII.
Cato. Monum. XIII. XIV.
Grotius. Monum. XXVI.
Nerva pater et filius. Monum. CXVIII. CXIX.
Scaevola. Monum. CXX.
Scipio Nasica. Monum. XII.
Sempronius Sophus. Monum. LXXII.
Servius Sulpicius. Monum. LXIX. LXX.
Vlpianus. Monum. XXX.

VARIA.

Aenigma iuris. Monum. IX.
Exagium solidorum in Theodosii Novella. Monum. LXXXVII.

Primum

Primum totius iuris praeceptum. Monum. CX.
Trium liberorum honos. Monum. LV. LVI. LVII.
De inſpiciendo ventre et cuſtodiendo partu. Monum. XLIV.
Callida, ſed malitioſa pacti interpretatio. Monum. XLVII. XLVIII. XLIX.
Ad titulum Codicis de precibus imperatori offerendis. Monum. CXII.
De reſcriptis principum. Monum. XL. XLI. XLII.
De novis tabulis. Monum. LI.

Faſſus ſum igitur ingenue, quae vitia ineſſe putem, imo, ſi quae alia fuerint, rogo non ſolum, verum etiam ſpero, aequos harum rerum arbitros homini rem difficilem primum aggredienti condonaturos eſſe. Licet enim nonnulli de pulchritudine et praeſtantia huiusmodi operis ore hiante multa varie declamauerint, nemo tamen illud ſuſcipere, quid? de eo ne quidem ſerio cogitare, ſi unum HEINECCIVM eximas, qui in praefa-

 tione

tione ad GVNDLINGII Exercitationes Academicas docere voluit, quomodo is labor inſtituendus ſit. Sed agitatum ab ipſo conſilium intra propoſiti fines perſtitiſſe novimus, atque etiam, vt plane quod ſentio dicam, ex intermiſſo opere non magnum orbi litterato detrimentum.

Nam, vt ille ſibi propoſuerat, immenſum futurum erat, ſine fructu, opus. Minutiſſima nempe quaelibet et ſingula legum verba nummis exornare cupiebat hoc modo, vt cum ad rerum diviſionem, qua aliae res publicae, aliae ſacrae, aliae ſanctae, aliae religioſae dicuntur, veniſſet, ita commentaretur: *Si quis, quales apud Romanos fuerint res ſacrae, coram diſpicere velit, ei numiſmata veterum innumera oſtendunt templa, aras, deorum dearumque ſimulacra, inſtrumenta, quorum in ſacris uſus erat, ipſa ſacra et ſacrificia, muros et portas, rogos praeterea et uſtrinas, quarum jucun-*

jucundum ſpectaculum eſt in nummis. Si quis deinde rerum communium, publicarum et ad univerſitates pertinentium imagines et ſymbola contemplandi cupiditate quadam tenetur, eius ſitim facile explebunt tot inſignes atque elegantiſſimi nummi, in quibus maria, littora maris, flumina, portus, curiae, baſilicae, theatra, ſimiliaque opera elegantiſſime depinguntur. Quam ad rem vero talia colligas, aut cui haec omnia bono? Non copia tam immenſa et, vt ita dicam, nimis abundante luxuria, ſed ſelectu opus eſt. Ergo nos alia quodammodo via ingredientes, haec aliaque argumenta nummorum communia atque nimis vulgaria, ex quibus nihil extricare poſſis, quod iurisprudentiam propius attingat, negligenda ac praemittenda putauimus, iis tantum monumentis contenti, quae caeteris praeſtantiora ſunt, et, ſiue ad ornandam ſiue ad iuvandam artem noſtram, utilitates quasdam maiores, dulcedinesque

praebeant. Sane ſi, vt ille conſilium coeperat, exequi voluiſſemus, non erat in VAILLANTIS, GOLZII, OCCONIS, PATINI aliorumque theſauris nummus omnino ullus, quem hac ratione non liceat legi cuidam aptare, nec lex in toto corpore iuris ulla, quae nummis plurimis exornari nequeat. Sumtuoſa haec ſine Gratiis. Igitur illud ſapientis dictum: *Nequid nimis* negligere veriti, notabiliores tantummodo picturas, quae in gemmis, ſigillis, nummis, aliisque monumentis obueniunt, triſti atque ſeverae, quae ita exhilarari poſſit, iuris doctrinae adſpergere maluimus manu potius, quam toto ſacco. Ex quo tamen facile praevideo hoc mihi euenturum, vt infenſi meis ſtudiis, adſpecto tam exiguo libello, exclamaturi ſint: Bone Deus, tam pauca ille? nempe nos hoc etiam poteramus! At veniam quaeſo. Non erat tam facilis ille labor, quam inexperti forte exiſtimaverint.

verint. Etenim, iniurato nisi credi- tis, Apollinem iurisperitum obtestor, me plures *Flavios Germanicos* *) scripturum esse citius, quam paucas ex tali genere plagulas. Innumera quippe volumina in pulverulentis variorum bibliothecis, vt ex iis quaedam nobis profutura de- cerperem, evolvi atque saepius, (vt ne quid mentiar, minimum dicam) mille numismata curiosius vndique quaesita non solum inspexi, sed litteras in iis sin- gulas, puncta, notas atque figuras probe consideravi, priusquam unus appareret ad artem, quam profite- mur, vtilis et satis opportunus. Quanta praeterea cum artificibus, sculptore atque pictore, contentio, vt exacte omnia et summa fide perficerent! Hem, quoties

*) Liber forensis satis magnus, ab auctore iisdem in nundinis, quibus hic liber prodit, emissus, sub titulo *Teutscher Flavius*.

quoties reieci ac denuo conduxi, quod illi non recte curassent! Taceo alia, quae nemo perspiciet unquam, incommoda, neque credet mihi evenisse, nisi qui rem plane eandem susceperit. Cum itaque huic labori propter reliquas officii occupationes, quae noctes et dies continuae urgent, vix vires sufficiant, priores tantum libros, ne plane nihil eius, quod promiseram, videar exsolvisse, e carcere et mea manu dimitto, tertius, si Deus volet, forte et quartus (neque enim iam exhausta penus, sed amplissima similium superest nummorum aliorumve monumentorum copia) suam suo tempore libertatem consequentur. Scribebam Lipsiae Mense Martio MDCCLXIII.

CARO-

CAROLI FERD. HOMMELII

IVRISPRVDENTIA NVMISMATIBVS ILLVSTRATA

NEC NON

SIGILLIS GEMMIS

ALIISQVE

PICTVRIS VETVSTIS

VARIE EXORNATA

LIBER PRIMVS.

LIBRI I. ET II.
CONSPECTVS.

Dc

Inveſti-



ERRATA
OPERARVM NOTABILIORA.

Pag. 26. lin. 20. pro MCCCCLXXXV. lege *MCCCCLXXXVI.*
Pag. 27. lin. 18. lege iterum *MCCCCLXXXVI.*
Pag. 32. lin. 12. pro ambo, lege *ambae.*
Pap. 38. lin. 12. deleatur LAMBINVS.
Pag. 57. lin. 2. pro Litigiatores lege *Litigatores.*
Pag. 151. lin. penult. pro Hadgemal lege *Handgemal.*
Pag. 169. lin. 10. post: in Monumento adde: *LXII.*
— — lin. 12. pro LXII. lege *LXIII.*
Pag. 176. lin. 3. lege *Alfenus.*
Pag. 181. in nota, tolle verbum *lib.*
Pag. 210. lin. 2. lege *LXXXVII.*
Pag. 193. lin. 10. Saxoncia lege *Saxonica.*
Pag. 243. lin. 14. pleriqui pro *plerique.*
Pag. 244. lin. 3. lege *Vectigalia.*
Pag. 269. lin. 3. lége *Guelpherbytano.*
Pag. 271. lin. 11. pro Antonio lege *Antonino.*

MONV-

Dieses Blat wird abgeschnitten.



MONVMENTVM I. ET II.

Iustitiae Templum ejusque Sacerdotes.

Adea principium! Nempe IVSTITIAM cernimus Iovis semine prognatam, quae, vt ORPHEVS ait apud DEMOSTHENEM, *) solio patris accumbens facta et cogitata mortalium assidue contemplatur. Antiquissimis statim temporibus templum Romae habuit, **) sed primus marmoreum fecisse videtur OCTAVIVS AVGVSTVS, plaudente OVIDIO: ***)

Principe nec nostro Deus est moderatior vllus,
Iustitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Caesar, facto de marmore templo,
Iam pridem posuit mentis in aede sita.

Hoc

*) Demosthenes in Aristogitonem.

**) Dionys. Halic. Antiq. Rom. lib. 2. p. 134. edit. Sylb. Lipſ.

***) Ovid. de Ponto lib. 3. ep. 6. verſ. 25.



Hoc, nescio quo casu, collapsum reparavit TIBERIVS, vt nummus docet, cui inscriptum est: *TIberius CAESAR DIVI AVGusti Filius AVGustus Pontifex Maximus TRibunitia POTestate XXIV.* et infra RE. hoc est: *restituit.* Miror marmoreum templum diuturnius non fuisse, vt TITI Caesaris refectione opus haberet, quemadmodum nummus apud PATINVM cum eadem Iustitiae imagine indicare videtur, his litteris insignis: IMP. T. CÆS. DIVI VESP. F. AVG. RESTITVIT. Neque tamen illum repeto, licet elegantissimum, ne praeter necessitatem figuris liber inturgescat, sed ad eum reuertor, qui oculis subjacet. Caput cinctum vitta. Virgo THEMIS enim, quo etiam nomine coelestia inter signa hodie fulget,

Neglecta terras fugit et mores feroces
Hominum, cruenta caede pollutas manus
Astraea, VIRGO, *siderum magnum decus.* *)

De re eadem quis OVIDII **) versus ignorat?

Victa jacet pietas, et VIRGO *caede madentes*
Vltima coelestum terras Astraea reliquit.

Qui

*) Seneca in Octavia Act. 2,
**) Ouid. Metam, lib. 1. v. 149.

ad pag. 2

I.


TI CAESAR DIVI AVG F AVG P M TR POT X
IIII
IVSTITIA
R·E

II.


IMP CAES T AEL HADR ANTONINVS AVG PIVS P P
TR POT X IIII COS IIII
S C
IVSTITIA
R·E

Qui ſequitur nummus ANTONINI PII eſt, cum ſimili nota: REſtituit. Ex lance, quam dextra porrigit, patellariam fuiſſe, nec injectam ſtipem neglexiſſe, cognoſces. *) Caeterum ſceptro ſuffulcitur, aut, ſi mauis, longa, qua rectum ab obliquo diſcernimus, regula. Anne forte deam ipſam ejusque templum ante oculos habuit diuinus ejus antiſtes et maximus ſacrorum cultor VLPIANVS, **) cum *Iuſtitiae Sacerdotes* diceret eos, qui rerum diuinarum et humanarum myſteriis initiati, quotidie juſti atque iniuſti notas interpretando et iudicando expendunt, vitamque agunt doctrinae ſuae et legibus conuenientem.

Sed audi, diua virgo! audi querelas noſtras, ſiderum magnum decus! Cur auro turpiſſimos, cur honore et opibus comples, qui leges et iura ſubuertunt? Mirari ego ſaepius, quare non ſis IVSTITIA iuſtior, imo an vlla eſſes? ſollicitari. At venia peccato! vtcunque ea ſe res habeat, non deſinam tuis ſupplicare altaribus et

*) Lactant. Inſt. lib. 2. cap. 2. §. 14. et cap. 4. §. 19. Cicero lib. 3. de nat. deorum. cap. 34.

**) L. 1. §. 1. ff. de juſt. et jur.

et auguſte tuum numen ſanctequè venerari. Si verbo inuidia abſit, dicam eſſe aliquod et mihi in ſacra tua meritum. Ecce enim has tibi tabulas ſuſpendo, ecce gemmis te comtiorem facio et nummis. Aedificent templa TITI et collapſa ANTONINI reſtituant, nos, quae poſſumus, thura accendimus. Eſto igitur propitia mihi et, quas nunc fundam, preces exaudi:

Te ſic ornanti nummis ASTRAEA *vetuſtis,*
Si placuit pietas, da, precor, alma novos!

MONV-

MONVMENTVM III.

Poena adulterii et judicium Zaleuci.

ZALEVCVS admodum seuerus iuris rigidissimi conditor, de quo an fuerit vnquam? TIMAEVS *) inepte dubitauit, ZALEVCVS, inquam, quo mirabili seueritatis et clementiae temperamento filii adulteri poenam mitigauerit, non potest melius dici verbis VALERII MAXIMI: **) *Zaleucus*, inquit, *vrbe Locrensium a se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cum filius eius adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas, in honorem patris, poenae necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnauit. Ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filii*

*) Cicero de legib. lib. 2. cap. 6.

**) Valer. Max. lib. 6. cap. 5, Ext. 3.



filii oculo eruto, vſum videndi utrique reliquit. Iures chalcydonii huius, quem ex EBERMAYERI incomparabili Gemmarum Theſauro exhibemus, ſculptorem haec ipſa VALERII verba prae oculis habuiſſe. Nam et ciuitatem, quam turritum caput prodit, non neglexit prolapſam in genua et ſupplicantem exprimere. Omnia in hoc lapillo ſatis paruo, ſed, vt minutiſſima quaeuis adſpectui ſine ſpecillis pateant, in maiores lineas ampliato, ſubtiliter et affabre facta, niſi quod Romanus artifex communi ſculptorum pictorumque vitio (nam et noſtri antiqua et peregrina ſaepius ad exemplum recentioris aeui depingere ſolent) non Graeco, ſed Romano more veſtes, ſellam, reliqua efformauit, imo lictores cum faſcibus, ſatis ridicule, appoſuit. Stupendum vero et omni poſteritati admirandum facinus ZALEVCI, quo animoſiorem THEMIS heroem non alium habet, niſi velis quosdam argutos imitari, qui ſceleſtam in detrahendo gloriam et neſcio quam ingenii laudem quaerentes, etiam LVCRETIAE COLLATINAE pudorem proſcindere, *) SOCRATIS vero in morte

*) Fontenel. in Dialogis mortuorum.

. III

ad pag. 6





morte perferenda et patiendo vxoris turpiſſimae injurias conſtantiam *) in dubitationem adducere conati ſunt. His facile fuerit dicere: nihil conueniens ſuae legi ſtatuiſſe ZALEVCVM, ſed judicium ſatis iniquum tuliſſe. Quae enim, malum! dementia, contra communia naturae praecepta, quae membrorum curam cuique et conſeruationem imperat, parte ſui, qua non eſt alia in animali corpore nobilior aut pretioſior, ſe ipſum priuare? Videatis porro, dixerint illi, quam peruerſe oculum filio alterum, contra iura a ſe perlata, donauerit? Nonne enim et ſuperſtite adoleſcens ocello nuptas puellas adſpicere adeoque crimen iterare potuit? Fallor, an haec cauſa eſt, quam ob rem lumen adulteris, non alterutrum, ſed vtrumque lex eripi praecepit.

MONV-

*) Leyſeri Meditationes ad Pand. Tom. X. p. 780. ſeq. Menzius in diſſ. Socrates nec officioſus maritus nec laudandus paterfamilias.

MONVMENTVM IV.
Legum Gallicarum Codex.

Triumphos atque victorias antiqua Romanorum numismata vt plurimum referunt, sed et legum in comitiis latarum memoriam, vt exemplis libellus noster variis et copiosis demonstrat, in aere publico familiarum principes conseruare studuerunt, quasi eadem plane amplificare armis imperium, quam bonis legibus firmare, gloria simillimusque honor sit. Haec enim duo munera imperantis, vt, quemadmodum IVSTINIANVS ait, utrumque tempus et belli et pacis recte possit gubernari. Merito ergo laudamus et admiramur in funebri pompa CAESARIS AVGVSTI, inter victorias etiam legum titulos fulsisse, imo triumphis praelatos fuisse, vt locus TACITI *) testatur: *Tum consultatum de honoribus: ex queis maxime in-*

*) Tacit. Annal. lib. I. cap. 8.

IV *ad pag. 8.*





insignes visi: vt porta triumphali duceretur funus, GALLVS ASINIVS; *vt legum latarum tituli victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur,* L. ARVNTIVS *censuere.* Non nouum aut mirabile, titulos legum in tabellis aut vexillis pictos funus AVGVSTI ornasse, cum iste honos cuilibet contigisse videatur, qui legem pertulisset. Sed hoc singulare potius in Augusti funere et memoratu dignum, antepositos et praelatos fuisse hos legum titulos vocabulis deuictarum gentium, cuius quidem honoris a senatu decreti rationem mihi videor inuenisse in IVLIANI *Caesaribus*, vbi hic ipse AVGVSTVS de se in deorum concilio praedicat: se existimasse melius, legibus ornare rempublicam, quam victoriis amplificare. *) Quam gloriosum autem fuerit, legem proprio nomine insignem pertulisse, vel haec CHRYSOSTOMI **) ostendunt: *Habebunt nepotes ac nepotum filii, quod sciscitantibus referant, quod ille scilicet praeclaram illam legem primus tulerit.* Si non eundem,

*) Iuliani Caesares. p.m. 206.

**) Chrysost. Homil. 49.

dem, quem Imperatori AVGVSTO ſenatus Romanus, ſimilem tamen LVDOVICO XIV. honorem Societas Academica Inſcriptionum *) decreuit, dum inter varios nummos, bellicos regis ſudores exhibentes, etiam hunc excogitauit, in quo Iuſtitia dea gladium cum libra ei tradit ſolio inſidenti, ſubſcriptis verbis: NOVO CODICE LATO MDCLXVII. et ſupra LITIVM SERIES RESCISAE. Pulcherrimum opus et ad veterum ſententiam efformatum, quibus iura armis aeque cariora, nec vtili lege victoria vlla excellentior videbatur, cum et Graeci **) SOLONEM legibus rempublicam perenniorem feciſſe, quam THEMISTOCLEM inſigni ad Salaminem victoria, Spartanis vero magis LYCVRGI diſciplinam, quam aut PAVSANIAE aut LYSANDRI militarem virtutem profuiſſe, lubentiſſime confiterentur. Neque tamen LVDOVICVS MAGNVS primum in Galliis codicem condidit, ſed antiquiora Franci conſtitutionum corpora habue-

*) Medailles ſur les principaux evenements du regne de Louis le Grand, avec des explications hiſtoriques par l'Academie des Medailles et des Inſcriptions. pag. 94.

**) Cicero lib. 1. de offic. c. 22.

habuerunt. Non equidem BREVLII non REBVFFI, non FONTANONII, atque RVPEMAILLETI collectiones priuatas, sed publicos LVDOVICI SANCTI et HENRICI Codices innuo. Quod postremum quidem attinet, HENRICVS III. rex Franciae sapientissimus, BARNABAE BRISSONIO, de quo dicere solebat: nullum in orbe principem esse, qui doctorem aleret, BRISSONIO suo in litterarum gloria comparandum, id dedit negotii, vt regias constitutiones vndique congestas in meliorem ordinem redigeret, qui Codex sub nomine Basilicorum anno 1587. prodiit.

Quemadmodum vero Henricianus BRISSONII, ita Ludouicianus Codex in nummo memoratus, PETRI SEGVERII studio scriptus est. Hoc codice potissimum iudiciorum viam, per varios anfractus implicatam, rex vere magnus breuiorem fecit et luxuriantem ciuilium causarum diffusamque prolixitatem mire coercuit, huius sui cancellarii SEGVERII opera, quem, ob insignem litterarum peritiam, qua sibi nomen inter eruditos fecit, Musarum delicias, Themidis corculum, atque Franciae ocellum merito dixeris.

MONV-



MONVMENTVM V.

Ad titulum Decretalium de auctoritate et vſu Pallii.

Magna inter iuris pontificii conſultos de pallii archiepiſcopalis forma, nata eſt diſputatio. PETRVS DE MARCA illud pretioſam olim et amplam veſtem totum corpus ad talos uſque contegentem fuiſſe perhibet, quam CONSTANTINVS MAGNVS, honoris cauſa, primus pontifici Romano largitus ſit. At ſequentibus temporibus, cum hoc ornamentum pontifex porro conceſſerit archiepiſcopis, caſu quodam in eam formam tranſiiſſe, qua hodie eſſe ſolet. Nempe, ut ſumtibus parceretur, miſiſſe pontificem archiepiſcopis tantummodo lacinias ſiue faſcias, quae veſtimentum ornatus cauſa circumdarent. Neque tamen hos adſuiſſe veſtibus ſuis, ſed vt miſſum erat adſeruaſſe.

S C S
PE
TR
VS

SCSSIMVS
D N
LE
O
P P

DN CARVLO
RE
G

BEATE PETRE DONA
VITĀ LEONI PP̄E BICTO
RIĀ CARVLO REGI DONA



uasse. Hinc fieri, vt nec hodie assuatur, sed libere instar torquis a tergo et pectore propendeat. Haec ingeniosa PETRI DE MARCA somnia in fumum dedit IOHANNES GEORG. PERTSCHIVS in libro: *de Origine, usu et auctoritate pallii* atque luculentissimis argumentis, in primis ex quadam SYMMACHI epistola, nunquam integrum corporis indumentum, nunquam vestem Attalicam, sed in prima statim, eaque tam orientali quam occidentali, ecclesia ex candida lana confectum, semper sacerdotale, nunquam regium ornamentum fuisse, demonstrauit; neque formam antiqui pallii ab hodierno discrepare, sed, vti nunc est, ita ab initio statim nigris rubrisque intextis crucibus distinctum fuisse, docuit, et plurimis antiquitatis monumentis aeri affabre incisis hanc sententiam suam approbauit. Miramur autem vetustiora non adduxisse. Nam, quae illic depinxit, seculi XII. aetatem non excedunt. Plus igitur ob majorem vetustatem venerabile puto, quod ex ALEMANNI dissertatione: *De Lateranensibus Parietinis*, exhibemus. PETRVS apostolus, in cathedra sedens atque pallio exornatus, dat idem pallium LEONI pontifici,

qui

qui ipſe alio pallio conſpicuus procumbit ad dextram, CAROLVS MAGNVS autem ad laeuam. Monumentum hoc muſſiuum, vt vocant, ſiue teſſulatum, tempore ipſius Leonis, vt Alemannus probat, confectum. In PETRI imagine ſingulare ac notabile videtur, non caput tantummodo, ſed integrum corpus nimbum ambire, adſcriptis verbis: SaCro Sanctus PETRVS: In latere, quo LEO pontifex genibus prouolutus, legimus: SaCratiSSIMVS DomiNus LEO PaPa. Parum probabile eſt, per vexillum quod Petrus CAROLO porrigit, imperatoris in Romam poteſtatem indicari, vt quidam opinantur. Non enim dominium vrbis, ſed victoriam d OmiNo CARVLO REGI pollicetur, dato vexillo, imperii militaris ſigno. Subſcriptio habet: BEATE PETRE DONA VITAM LEONI PAPE; BICTORIAM CARVLO REGI DONA. Imperatoris ſine barba mentum, ſolo myſtace labia circumfuſo, quo et PETRI vultus mirum in modum deformatus eſt. Ipſe autem CAROLVS vtrum ſuo, an Romano more in hoc teſſulato opere appareat? iudicauerint lectores, ex his EGINHARTI verbis: *Corpore fuit* CARO-

LVS

LVS *) *amplo et robuſto, ſtatura eminenti, quae tamen iuſtam non excederet - - - Apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie laeta et hilari, unde formae auctoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima inerat: Quamquam ceruix obeſa et breuior venterque proiectior videretur. - - - Veſtitu patrio, hoc eſt, Francico vtebatur: ad corpus camiſiam lineam et foeminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quae limbo ſerico ambiebatur, et tibialia. Tum faſciolis crura et pedes calceamentis conſtringebat et ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus et gladio ſemper accinctus; cuius capulus ac baltheus aut aureus aut argenteus erat, aliquoties et gemmato enſe vtebatur, quod tamen non niſi in praecipuis ſolennitatibus, vel ſi quando exterarum gentium legati veniſſent, faciebat. Peregrina vero indumenta, quamuis pulcherrima, reſpuebat, nec vnquam eis indui patieba-*

*) Carolus Magnus verum barbam aluerit, diſquirit Pagenſtecher in libro ſingulari de barba Th. 9. p. m. 75.



patiebatur: excepto quae Romae ſemel ADRIANO *pontifice petente et iterum* LEONE *ſucceſſore eius ſupplicante, longa tunica et chlamyde amictus, et calceis Romano more formatis, induebatur. In ſolennitatibus veſte auro tecta et calceamentis gemmatis et fibula aurea ſagum adſtringente: diademate quoque ex auro et gemmis ornatus incedebat, aliis autem diebus habitus eius parum a communi et plebeio abhorrebat.*

MONV-

MONVMENTVM VI. ET VII.

Tribunal Praetoris Romani.

Quod in appositis nummis templum putas, tribunal est, siue ille amplissimus et spectabilis locus, quem ROMVLVS, cum homines metu maxime a maleficiis absterreri animaduerteret, terroris incutiendi causa et ad reuerentiam inprimendam, si DIONYSIO fides, in loco fori conspicuo primus aedificauit. *) Habuisse enim tribunalia aedium formam rotundarum et columnis sustentata fuisse VITRVVIVS **) docet his verbis: *Fiunt autem aedes rotundae, e quibus aliae monopterae sine cella columnatae constituuntur, aliae peripterae dicuntur. Quae sine cella fiunt, Tribunal. Habent* et

*) Dionysius Halic. lib. 2. cap. 4. pag. 59. edit. Sylburg. Lipsiens.

**) Vitruvius lib. 4. cap. 7.

et ascensum ex suae diametri tertia parte. Quod autem superius DIONYSIVM HALICARNASSENSEM dixisse retulimus, fuisse scilicet tribunal ad metum commouendum aptum, LIVIVS etiam comprobat *) de Macedonia in prouinciam redacta verba faciens: *Ipse vbi dies venit,* PAVLVS *cum decem legatis, circumfusa omni multitudine Macedonum, in Tribunali consedit. Adsuetis regio imperio, tamen nouam formam terribilem praebuit Tribunal, summotor aditus, praeco, accensus. Insueta omnia oculis auribusque; quae vel socios, nedum hostes victos, terrere possent.* Hinc etiam praetori pro tribunali sedenti maiestas tribuitur *L. 9. ff. de jurisd. L. 11. in fin. ff. de just. et jur. L. 33. ff. de injur.* atque prohibitum, ne coeci postularent, quia insignia praetoris videre et reuereri non possent. *L. 1. §. 5. ff. de postul.* Iam praeter superius laudatum, adhuc alium adducemus VITRVVII locum, **) in quo de hoc augusto tribunali, in basilicis Coloniae Iuliae Fanestri a se aedificatis, haec commemorat: *Basilicarum loca*


*) Liuius lib. 45. cap. 29.

**) Vitruvius Lib. 5. cap. 1.


ad pag. 18.



VI.



VII.





loca adiuncta foris - - - - Tribunal est in aede hemicycli schematis, minore curuatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est interuallum pedum quadraginta sex, introrsus curuatura quindecim, vti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent. Pedes quadraginta sex in fronte habuisse tribunal exiguae vrbis Coloniae Iuliae Fanestri, quod insuper ob loci penuriam angustius aedificasse scribit, mirabile. Vix enim in tota Lipsia domus vlla talis in fronte longitudinis, vt vel ex mensura harum aedium maiestas et magnificentia appareat. Quis igitur templum fuisse tribunal amplissimum negauerit? Alia vero in castris ratio, vbi suggestus ex cespite quadratus tribunal erat, qualis in columna TRAIANI frequens est. Castrensia tribunalia qui ab vrbanis non distinguunt, haec quoque quadrata perhibent. Quod enim VITRUVIUS semicircularem fecerit in his basilicis, vt ipsa adiecta ratio doceat, ideo factum esse dicunt, ne negotiantes in basilica litigatores impedirent. Fateor quidem esse Tribunalis formam, qualem superiori in loco VITRUVIUS describit, non



vulgarem, ſed ab architecto, loci ob anguſtiam, in baſilicis, quas a ſe Coloniae Iuliae Faneſtri aedificatas ſcribit, paulo aliter quam aſſolebat, ordinatam, attamen aberrationem a regula non in eo: quod hemicycli in forma, ſed quod minore curvatura introrſum fecerit, conſtitiſſe arbitror, cum reliqua, quam hoc Vitruvianum, magis rotunda eſſent. Interiorem enim curuaturam in omnibus, quae in vrbe aut coloniis eſſent, tribunalibus lunae creſcentis formam habuiſſe, *cornua* docent, quae extremitatibus huius templi ſcriptores tribuunt. *) In his ſedebant ſcribae. **) De aſcenſu vero non eſt vlla dubitatio. Nam CLAVDIANVS et ISIDORVS ſublime tribunal vocant, iurisconſulti veteres autem *de plano cognoſcere* rem aliam docent eſſe, quam ſi praetor de ſella ac tribunali pronuntiaret. Notus praeterea MARTIALIS verſus ***)

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli iura gentibus reddas.

nec

*) Liv. lib. 25. cap. 3. Tacit. Annal. lib. 1. c. 75. Sueton. Tiber. c. 33.

**) Valer. Max. lib. 5. cap. 7.

***) Martial. lib. 17. epigr. 99.

nec non CASSIODORI *) oratio: *Tribunal tuum ideo tam excelſum factum eſſe noueris, vt locatus ibi nihil humile abiectumque cogitares.* Tempus vero eſt, vt ad conſideranda, quae appoſuimus, numiſmata animum conuertamus. Quid in illis vrnae et litterae A. C. ſibi velint? dicam alio loco, quo non eosdem quidem, ſimiles tamen, nummos illuſtrabo. In priori LIBERTATIS numen, in alterius autem auerſa parte, quam deſcribendam non duximus, VESTAE imago apparet. Hinc factum eſt, vt eruditi homines tribunal, quod in his monumentis eſt, pro rotunda VESTAE aede haberent. At vero non ſolum longe alia eſt Veſtalis templi facies in nummis ſaepe obuenienis, **) verum etiam, cum in priori nummo non VESTAE, ſed LIBERTATIS imago, templum tamen et aedificium idem appareat, plane

*) Caſſiodor. lib. 5. form. 3.

**) Aliam eſſe templi Veſtae conſecrati faciem intelliges ex Montefalconii epitomatore SCHAZIO in antiquitatibus Graecis et Romanis tabula 46, num. 7. et 8. deinde ex LIPSIO de Veſta p. 1086. et p. 1096. in Volum. tertio Opp. Veſaliae editorum. Deeſt in his omnibus Veſtae templis ſuperne impoſita ſtatua, deſunt antennae.



plane manifeftum eft, has aedes rotundas tribunal potius, quam VESTAE templum videri. Memoriam nempe Legis Tabellariae a CASSIO perlatae et iudiciorum libertatem conferuant, vt mirum non fit CASSII tribunal fimul apparere. Neque VESTAE templum tales in vtroque cornu antennas draconum capite exornatas exferit, vt hic cernuntur. Intus pofita fella curulis eft, in qua magiftratus fedebant, cum ius dicerent, aut comitia haberent. Sed cum longe plura de ea re in libello fingulari expofiturus fim, quem *de maieftate praetoris et forma tribunalis* edere paro, nolo mihi ipfe dicendi materiam praeripere. Defcribemus autem in hoc noftro futuro libello parvum ex charta aedificium, cuius in epiftola ad virum illuftrem IOHANNEM LVDOVICVM VHLIVM jam mentionem fecimus his verbis: *Quid cogitem, quid agam, quaeris, cur nihil ad Te fcribam? Paucis vt dicam: fere fepultus inglorio labore et quafi mortuus mihi viuere videor, vtpote infulfis quotidie et male pictis actorum iudicialium chartis, oculos animumque fatigans. Maxima enim apud nos huius laboris copia abundat. Non prius, quam cum vefperafcit, meus recedo. Tunc demum*

mum aliquid lego vel ſcribo, aut etiam conſilia de rebus nouis agito, et vanis interdum propoſitis memet ipſum demulceo. Vereor ne plura inſtituam, quam in tanta vitae breuitate et laboris forenſis moleſtia ad finem perducturus ſim. Nunc, riſum quaeſo cohibeas! aedifico. Non inſulam aut domum (nam vnde opes ſumam, quas Mars ſubuertit funditus:) ſed parvum rei magnae ſimulacrum in menſa grandiori repoſitum exſtruo, nempe Tribunal Praetoris Romani, vti eius formam in nummis mihi deprehendiſſe videor et VITRVVIUS *praeſcripſit, cuius libri valde corrupti ipſisque mathematicis obſcuri, hoc tamen clare demonſtrant, templum illud fuiſſe rotundum, quod reuerentiam ſui commouere, imo terrorem incutere poſſet. Sella in hoc paruo tribunali eburnea, praetor eam inſidet praetextatus, aſſeſſores a tergo decem togati, quinque ſenatores totidemque equites, cancelli certis in locis et in ſubſelliis ſcalatis magnus auditorum numerus. Praeter hos ſummotoris, praeconis, accenſi, apparitorum, limocinctorum atque lictorum cum duobus faſcibus, ex ligno affabre factae atque ſuis indutae veſtibus icunculae. Tribunal ipſum ex craſſa papyro (Pappe) columnis ligneis ſuſtinetur, externe vero*

 colore

colore quodam marmor simulante et auro distinguitur. Mirum opus, si videas. Gradus habet, siue ascensum. In cornu scribae sedent. Stant suis locis litigatores. Hasta etiam posita est, et non procul album in nigro scriptum pariete. Nonne vero, cum theologi in templo SALOMONIS *simulando ludant, mihi iuris studioso, qui architectura mirifice delector, veteris tribunalis simulacrum fabricari liceat, et* FELIBIENVM, CRVBESACIVMQVE *imitari, qui* CICERONIS *Tusculanum et* PLINII *Laurentanum ex vetustis, quae supersunt, descriptionibus restituere conati sunt. Fallor, aut has pupas* VHLIVS *suo non inuidebit Hommelio.*

MONV-

MONVMENTVM VIII.

Cameralis Iudicii a Maximiliano Primo instituti memoria, in nummo, qui vulgo Cameralis dicitur.

Multi, vt inferius dicemus, Germaniae Imperatores vario tempore pacem publicam stabilire, vtque haec haberi posset, perpetuum principum iudicium fundare studuerunt, inprimis FRIDERICVS BARBAROSSA, cuius constitutio *II. F.* 27. superest, et a GVNTHERO *) his versibus laudatur:

Caesar, vt extremo positis in fine loquendi
Vocibus, admonitas penetrarent altius aures,
Omnibus in nostro, quod toti praeminet orbi,
Gentibus et populis edicta potentia regno
Tradimus, vt cuncti bellorum clade remota,
Tempore iam nostro pacis seruare quietem

Inci-

*) Gunther. Ligurinus. lib. 8.

Incipiant homines, poenasque nocentibus vltro
Addimus, et iustam legum proponimus iram.
Hanc proceres cuncti, comes ac dux, marchio, consul,
Et cum iudicibus Capitanea turba verendis,
Miles, paganus, ciuis simul atque colonus,
Et cum plebeia pariter plebe nobilis ordo
— — in medium concordi foedere iurent.
Iudicis officio sua cuncti iura sequantur,
Contineantque manum; vaginae redditus ensis
Torpeat, et scabie rubeat, non sanguine, ferrum.

Sed FRIDERICVS ille et successores proximi quae inchoata reliquere, feliciter perfecit MAXIMILIANVS I. qui die septimo Augusti MCCCCXCV. principum camerale, idque stabile et perpetuum, iudicium instituens foedas diffidationes et bella priuatorum penitus consopiuit. In huius rei memoriam nummus cusus, cuius antica imaginem seruat Caesaris, cum epigraphe: MAXIM. I. FRID. III. FIL. ELECT. ROM. IMP. ANN. MCCCCLXXXV. Interiore in orbe paulo minoribus litteris subditum: IVDICII CAMER. IMPER. CONDITOR. Postica coniugis exhibet MARIAE effigiem, cum insolito elogio: Caroli Burgundiae Ducis Filia Vnica. Longa inter eruditos de hoc camerali nummo fabula, immo diffidium

ad pag. 26.



VIII.





dium graue, cum nonnulli, vt IACOBVS A MELLEN atque LVDOLFVS, illum probum, genuinum et ab ipſo imperatore cuſum exiſtiment, caeteri vero tanquam falſum et adulterinum reiiciant. Adſunt enim manifeſta fraudis ſigna, cum imperator Maximilianus PRIMVS dicatur in eo tempore, quo nondum ſecundus erat. Nouimus etiam *Electi imperatoris* titulum frequentiorem factum illis demum temporibus, quibus imperatores, expeditione Romana intermiſſa, diadema a pontifice impetrare ſuperſederunt, vt ex eo coniectura non leuis ſubnaſcatur, artificem (qui poſt MAXIMILIANI II. tempora, ob eam quam diximus rationem, vixiſſe videtur) vſitatos ſuo tempore imperatoriae maieſtatis titulos inepte MAXIMILIANO I. attribuiſſe. Tandem ſi annum adſcriptum MCCCCLXXXV. conſideres, fraus plane manifeſta, cum illo camerale iudicium nondum ſtabile eſſet, vxorem autem MARIAM imperator iam amiſiſſet. Haec cum inter ſe non bene conuenire intelligerem, veri cupidus illuſtrem CAROLVM. IVLIVM SCHLAEGERVM, quo non eſt quisquam inter omnes, qui viuunt, rei numisma-

ticae

ticae doctior, de ea re consului, qui ita respondit: *Diese Münze schreibet sich, benebst noch etlichen Zwanzig ihres gleichen, deren der seelige* KÖHLER *in dem ersten Theile seiner Münzbelustigungen hin und wieder gedenket und gröszten theils aus Golde bestehen, aus einer Officin her, welche Eingangs vorigen Jahrhunderts von einem betrüglichen, Juden zu Prag angeleget seyn soll, daher sie auch unter den Nahmen der Judenmünzen bekant sind. Weil dieser Jude die vorgeblicher Maasen verlohren gegangene Kunst, Nummos subaeratos zu fabriciren, verstanden, so soll er deswegen gehangen worden seyn. Alles dieses gründet sich einzig und allein auf den von* GERHARD A MASTRICHT *dem seeligen* TENZEL *abgestatteeen Bericht, dessen Original in hiesiger Hochfürstlichen Bibliothec annoch vorhanden ist. Ob und wie weit er Grund habe, dürfte wohl so leicht nicht auszumachen stehen. Nur dieses kommet mir sehr wahrscheinlich vor, dasz gedachte Münze nicht eher, als in den lezten Lebensjahren des Kaysers* RVDOLPHS II. *jung worden. Jch schliesse solches daher, weil der überaus fleiszige* LVCKIVS *keine einzige von allen solchen Münzen an-*

führet.

führet. Sie kommen blutselten vor, und werden daher von Liebhabern sehr theuer bezahlet, wiewohl doch obgedachter nummus cameralis in der Melanischen Auction, nur sieben Ducaten, die er an Gewichte hielte, weggienge. Haec quae breuiter ille innuit, cum copiosius explicare instituissem, commode in manus venit GODOFREDI DANIELIS HOFMANNI, quam ex professo de nummo hoc Maximiliani conscripsit, disputatio, in qua omnia, quae de eo dicta vel scripta sunt vspiam, studiose collegit, eoque mihi plura commemorandi otium longe dulcissimum fecit. Ipsius autem HOFMANNI haec est opinio: Nummum hunc cameralem neque publica viuentis MAXIMILIANI I. auctoritate, neque anno MCCCCLXXXVI. neque statim post Maximiliani primi mortem, quid, ne CAROLI V. tempore quidem cusum, attamen adulterinum non esse, si quidem non videatur ab improbo Iudaeo clanculum, sed a bono viro et, vt suspicatur, artifice quodam in Belgia factus, qui non quotidianum commerciorum in vsum, sed memoriae causa hoc opus palam ediderit, quemadmodum et hodie fieri videmus, vt periti cudendi aeris fabri priuata

numi-

numismata ab ipsis excogitata atque inuenta ex auro, argento, aere in rerum euentus memorabiles fabricentur suis sumtibus; et non quasi nummos diuulgent, sed tanquam mercem istarum rerum curiosis vendant. Quid palma significet, quam in laeua imperator gerit, nondum satis extricare potui, nec ex HOFMANNO didici, nisi quod signum esse dicit iam mortui imperatoris, siquidem coelites plerumque liliis pictores atque palmis exornare soleant.



MONVMENTVM IX.

Aenigma Iuris pulcherrimum.


Rogo lectorem, vt ante omnia speciem appictam probe intueatur, subscriptosque versus perlegat, qui de verbo ad verbum latine redditi sic habent:

Hi liberi nostri liberi sunt.
Parentes eorum nostri fratres sunt;
Et hoc tamen in legitimo coniugio.
Iam dic, qualis sit cognatio?

Hos versus in disputatione *de nuptiis iure diuino prohibitis* theologus sui temporis celeberrimus IOHANNES MAIOR in coenobio, nescio quo, se cum tali pictura vidisse refert. Neque tamen ipse aenigma soluit, nec alius quisquam; imo fuerunt, qui inexplicabile iudicarent. Non ferendum autem amplius, coenobitas illos adeo perplexos nodos et eiusmodi nexisse, quos posteritas soluere et extricare

non

non possit. Ego igitur, tametsi probe video, me, quae OEDIPI praemia fuerunt, neque IOCASTAE nuptiis neque Thebano regno potiturum esse, tamen hoc aenigma studebo explicare et Sphingibus illis os obruere, ne praetereuntibus ruborem incutiant amplius. Primo dicendum est, matres illas in tabula depictas commutasse liberos atque alteram filium alterius tenere. Verum hoc scire parum refert. Nodus potius et omne artificium in ambiguitate verborum latet: *patres eorum nostri fratres sunt.* Sunt vestri fratres, si ambo in plurali numero loquamini, hoc scilicet modo, vt foeminae ad dextrum latus constitutae maritus sit frater sinistrae; sinistrae vero maritus sit frater illius. Schema hoc mihi fingo:




Dextra, hoc scilicet nomine mulierem appellabo, nupsit fratri *Sinistrae* quem littera *B.* signauimus. Sinistra vero nupsit fratri Dextrae. Hoc omnino fieri potest. Nam licet Dextrae maritus *B*,

sit

IX ad pag. 32



Diese Kind sind unsre Kind.
Ihre Väter unsre Brüder sind.
Und dieses doch in rechter Eh.
Nun rathe wie die Sipschafft steh?



ſit affinis perſonae A, et e converſo Dextra ſit affinis Siniſtrae; tamen inter *A* et Siniſtram nulla eſt affinitas; neque inter *B* Dextramque cognatio vlla, ſecundum vulgarem et omnibus notam regulam, qua conſanguinei vxoris et conſanguinei mariti nullo modo inter ſe cognati habentur. Legitimum igitur videtis matrimonium, ex quo, qui prognati ſunt, liberi vere dicere poſſunt: patres ſuos eſſe matrum fratres, ſi ſcilicet coniunctim et in plurali numero loquantur. Germanica verba huic tabulae ſubſcripta ſatis conuenienter IOHANNES MAIOR in diſputatione, quam ſupra laudauimus, verſibus hiſce Leoninis incluſit:

Hi duo ſunt nati, noſtra de carne creati,
Sunt noſtri fratres, qui genuere patres.
Nec thorus amborum ceſtus violavit amorum.
Vis tranare vadum? Dic genus atque gradum.

Hos luſus verborum eo notabiliores puto, quod in legitimum caſtumque coniugium compoſiti ſunt. Nam de inceſtis nuptiis, per quas nomina cognationis confunduntur, plura habemus aenigmata, atque inter illa epitaphium non recens, ſed probatae antiquitatis:



MATER. FILIVS. ET. FILIA
SOCER. GENER. ET. NVRVS
AVIA. NEPTIS. VIR. ET. VXOR
VNO. EODEMQVE. TEMPORE. AC. FATO
SVBLATI. SVNT.
QVAERITVR. QVOT. SINT
TRES. SVNT

De filia amore patris exarſa OVIDIVS: *)

Nec quod confundas et iura et nomina ſentis?
Tune eris et matris pellex et adultera patris?
Tune ſoror nati, genetrixque vocabere fratris?

Et alio loco **) de eo, qui natus erat ex concubitu MYRRHAE cum ſuo patre:

- - - - - - *Ille ſorore*
Natus, auoque ſuo.

Apud SENECAM vero in Phoeniſſa ***) de ſe ipſo haec dicit OEDIPVS:

Obſcura noſtrae verba fortunae loquar,
Quae nemo ſoluat:
Avi gener, patrisque riualis ſui,
Frater ſuorum liberum, et fratrum parens,

Vno

*) Ovid. Metam. X. v. 345.
**) Ovid. Metam. X. v. 520.
***) Seneca in Thebaid, ſiue Phoeniſſa Tragoedia v. 134.

Vno avia partu liberos peperit viro
Ac ſibi nepotes. Monſtra quis tanta explicet?
Ego ipſe, victae ſpolia qui Sphingis tuli,
Haerebo, fati tardus interpres mei.

Similis labyrinthus in marmore quodam Italico:

Herſilus hic jaceo, mecum Merulla quieſcit,
Quae ſoror et genetrix, quae mihi ſponſa fuit.
Vera negas, frontemque trahens aenigmata Sphingis
Credis? Sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit, mihi jungitur illa,
Sic ſoror et conjux, ſic fuit illa parens.

Ex hoc facilius Gallicum intelliges, quod non procul a Pariſiis Alicurti viſitur, ſepulcri monumentum:

Ci git le Fils, ci git la Mere,
Ci git la Fille avec le Pere,
Ci git la Soeur, ci git le Frere,
Ci git la Femme et le Mari,
Et n'y a, que trois corps, icy.

Quocum plane conuenit, quod Lubecca oſtendit, Germanicum:

Wunder över Wunder!
Hier liegen dree dorunder:
Vater, Sohn un de Moder,
Süster, Dochter un de Broder,
Mann un Wyff,
Dree Seelen un en Lief.

Nempe Filius e Matre genuerat Filiam et hanc in matrimonium duxerat. Tres illi homines vnum corpus propterea dicuntur, quia per commixtionem vna caro facti, secundum illud; *Mann und Weib, sind ein Leib.*

MONV-

MONVMENTVM X. ET XI.

Lex non Remmia, ſed Memmia, de Calumniatoribus.


Legis Remmiae, quae calumniatorum fronti Kappa inurebat, duobus ſolum locis in Digeſtis mentio. Primo MARCIANVS *) eam commemorat his verbis: *Calumniatoribus poena Lege Remmia irrogatur;* PAPINIANVS vero in L. 13. ff. de teſtib. paulo prolixius: *Quaeſitum ſcio, an in publicis iudiciis calumniae damnati teſtimonium iudicio publico perhibere poſſint? Sed neque lege Remmia prohibentur: et Iulia lex de vi, et repetundarum et peculatus, eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt; veruntamen quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium, ad quorum officium pertinet,*


*) L. 1. §. 2. ff. ad SCt. Turpill.


net, eius quoque testimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere. Notus est BRENCMANNI de ea lege commentarius, qui tamen ex omni Romanorum historia nullum laudare potuit REMMIVM, ad quem haec lex referri possit. Neque enim consul, neque praetor, neque tribunus plebis REMMIVS, in annalibus aut fastis Romanorum, vllus. Quamobrem PIGHIVS, PEREZIVS, PANCIROLVS, LAMBINVS, HEINSIVS, HOTOMANNVS, ZASIVS, DVARENVS, GIPHANIVS, ANTONIVS MATHAEI, LAMBINVS, VRSINVS aliique Memmiam, non Remmiam dictam eam Legem putant; quibus omnino nos, monumentorum, quae ex familiaribus, Romanorum nummis exhibemus, auctoritate freti subscribimus. Est praeterea in promtu VALERII MAXIMI *) locus, qui Memmiam legem non Remmiam habet: *M. Antonius, quaestor proficiscens in Asiam, Brundusium iam peruenerat, vbi litteris certior factus incesti se postulatum apud L. Cassium, cum id vitare*

*) Valer. Max. lib. 3. c. 7. num. 9.

ad pag. 38.







taro beneficio LEGIS MEMMIAE *liceret, quae eorum, qui reipublicae cauſâ abeſſent, recipi nomina vetabat, in vrbem tamen recurrit.* Deinde in vetuſtiſſimis Orationis Ciceronianae pro Sexto Roſcio Amerino exemplaribus *) Lex Memmia legitur, quem locum tamen recentiores CICERONIS editores corruperunt, verae lectioni falſam ex Pandectis TRIBONIANI ſubſtituentes. Ipſum vero oratorem TVLLIVM **) audiamus: *Ita te quaeſtus cupidum eſſe oportebat, vt horum exiſtimationem et legem Memmiam putares aliquid valere oportere - - - - Sed ſi ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici eſtis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.* Ex hoc litteram fronti inuſtam eſſe animaduertimus, ſed qualem? An forte R illa fuit, quae littera dicitur canina. ***) Sane non ſolum CICERO in loco ſuperius laudato, quem totum adſcribere nolui, calumniatores canibus com-

*) Cicero pro Roſcio cap. 19. in fine.

**) Cicero ibid. cap. 20.

***) Perſius Sat. 1. v. 109.

comparat, sed innumera BRENCMANNVS *) loca congessit, in quibus delatores canes, nec loqui, sed latrare dicuntur. Vix tamen hoc ausim affirmare, cum illam litteram non aliam, nisi Kappa fuisse, monumentum X. clarissime demonstret, et alterum quoque numero XI. insignitum satis abunde probet. Posteriorem nummum ipsi vidimus. Apparebat in eo inuersa ante caput littera valde attrita, atque superne penitus oblitterata, vt plane conjiciamus, eam, licet propius ad ductum atque formam ꓘ accedere videatur, familiarium numismatum collectores aut sculptores in notiorem et frequentiorem Я male commutasse. Docent autem grammatici non tam litteram apud Romanos K fuisse, quam potius notam, qua Kalumniam significarent. VERRIVS LONGVS **) de ea his verbis: *Qui K expellunt, notam dicunt esse magis, quam litteram, qua significamus Kalumniam, Kaput, Kalendas*, cui adpromittit MARTIANVS CAPELLA: ***) *Kappa*

*) Brencman. de legis Remmiae exitu, cap. 2. in fine.

**) Verrius Longus p. 1218.

***) Mart. Capel. 3. p. 57.

Kappa, inquit, *nunc nota putatur esse*, *nunc littera.*

Quonam autem tempore hanc Memmiam de calumniatoribus legem latam esse dicemus? Satis veterem puto, quia recentiores non Kalumnia, sed Calumnia scripserunt. Videamus, an probabiliter natalem eius inuestigare possimus? Nempe superius adductus VALERII locus ait: proficiscentem in Asiam Antonium beneficio legis Memmiae non vsum esse. Profectus vero is anno vrbis conditae DCXXXIX. Itaque iam illo tempore Lex illa Memmia fuit. Nondum autem perlata videtur, cum PLAVTVS *Persam* primum ageret, quod anno DLXV. circiter factum est. In huius comoediae Actu primo, Scena secunda, calumniatores et quadruplatores comice exagitat. Quod si Kappa iam tunc inuri moris fuisset, plane mihi persuadeo, PLAVTVM more suo hoc ludibrium, hanc commodam occasionem calumniatoribus laceratam frontem exprobrandi non praetermissurum fuisse. Secundum haec lex intra annum DLXV. et annum DCXXXIX. proposita videtur. Hoc

autem tempore vixisse LIVIVS *) aliique scriptores perhibent C. MEMMIVM GALLVM, quem ego auctorem legis facio. Is, etiamsi plebeia familia ortus esset, bis tamen praetor factus est, ne caetera eius munera commemorem. Huius notabilem legem et vniuerso populo salutarem, qua coërcetur

Turba grauis paci placidaeque inimica quieti,
Quae semper miseras sollicitabat opes, **)

ex posteris duo LVCII MEMMII GALLI pater et filius in numo mira breuitate, luculento tamen signo, bellissime exhibuerunt, atque ipsius, vt auguror, maioris CAJI nobilissimum vultum, sub SATVRNI, quem falx prodit, imagine expresserunt, forte quod aurea illa SATVRNI aetate, calumniatores non fuerunt, sed lupi, vt poëtae fabulantur, cum agnis placide ex eodem riuo bibere et gramine in vno requiescere consueuerunt. Quousque autem Memmia lex durauerit, non satis expeditum, nisi quod BRENCMANNVS in Lege decima

et

*) Liuius lib. 41. c. 12. lib. 42. cap. 9.

**) Martial. Spectaculor. Ep. 4.

et ſeptima Codice de poenis, vbi CONSTANTINVS *faciem humanam, quae ad ſimilitudinem pulchritudinis coeleſtis figurata ſit, commaculare vetat, cum in manibus et ſuris poſſit poena damnationis ſcribi*, eam non abrogatam eſſe, vt vulgo creditur, ſed hanc Codicis legem ad eos ſolum, qui ad metallum fuerint damnati, pertinere docuit.

Licet autem CICERO vnius tantum litterae mentionem faciat, atque in monumentis etiam noſtris vnum breuitatis cauſa, quae in nummorum ſignis maxima eſſe debet, K appareat, duo tamen inuſta fuiſſe videntur, cum in vetuſtis ſiglis *) diſſerte: K K. KALVMNIAE KAVSA explicetur, et IVLIANVS etiam imperator, *in oratione pro barba ſua*, **) duplicis litterae mentionem faciat. Nam Antiocheni, cum ipſum odiſſent, quod X. nempe Chriſtum crucemque perſequeretur, et propterea K. deſiderarent, nempe Iuliani deceſſorem KONSTANTINVM, (graece enim ita ſcribitur) falſe hanc litteram

*) Iſidorus Etym. lib. 1.

**) In Iuliani Operibus p. 357.

litteram IVLIANVS perſtringit et, (latina adſcribam non graeca verba) ita ait: *Tandem* KAPPA *deſideratis. Vtinam Dii cuſtodes huius vrbis id vobis* DVPLEX *largiantur, quoniam ciuitates finitimas, quae et Diis mecum ſeruiunt, et ſanctae ſunt,* CALVMNIA *vexaſtis, quaſi quae in me compoſita ſunt, ab illis profecta eſſent.* Vereor autem ne diutius, quam par eſt, argumento inhaeream ſatis noto, quam ob rem vela contrahens nihil adſcribo amplius, niſi vnum PLINII *) locum, quo TRAIANVM laudat, quod non ſolum ſtigmatibus, quae id hominum genus parum curare videbatur, ſed exilio calumniatores perſequatur, *vt iam illi, non vt antea, exſanguem et ferream frontem nec quicquam convulnerandam praebeant punctis, et notas ſuas rideant.*

MONV-

*) Plin. Panegyr. cap. 35.

MONVMENT. XII. XIII. XIV.

Scipionis Nasicae, et Catonis Censorii vultus aeternales.

Quid agis HEINECCI? cur negas iurisconsultorum veterum adhuc perennare effigies? Imo, si hoc saltim dixisses, facile quidem et liberaliter errorem condonarem, quod autem nomina ne quidem iurisconsultorum superesse, neque inueniri nummos ab iis conflatos, tanta fiducia asseris, existimationem nominis minuit, atque inscitiam in re numismatica prodit. Verba HEINECCII erubescenda haec sunt: *) *Si dicendum quod res est, nullius adhuc iuris consulti veteris nummus, qui quidem indubiae*

*) Heineccius de usu et praestantia numismatum in iurisprudentia, quae est Praefatio ad Gundlingii Exercitationes Academicas, pag. 17.

indubiae fidei ſit, prolatus eſt ab antiquariis. Nomina ſane iurisconſultorum indubitatae fidei inferius multa obuenient, tam clare et ſignificanter expreſſa, vt nullis incertis coniecturis, ſed oculis tantum opus ſit, ad ea capienda. In praeſenti tabula non nomen tantum, verum etiam effigiem damus PVBLII CORNELII SCIPIONIS NASICAE, qui a Senatu Optimus iudicatus eſt. Cum enim legatos, qui matrem Idaeam ab ATTALO rege arceſſebant, Apollinis Pythii oraculum monuiſſet, curarent, vt ab optimo exciperetur, NASICA noſter, adhuc adoleſcens nec dum quaeſtorius, populi conſenſu et ſenatus ſacramento optimus iudicatus eſt, cui etiam publice domus in via ſacra data quo facilius conſuli poſſet. *L.* 2. *ſſ.* 37. *ff. de orig. jur.* Nec in nummo tantum, verum etiam in Iaſpide huius optimi viri icon perennat, quae in CHRISTII *Dactiliotheca Vniuerſali, num.* 229. gemma memoratur.

Iam pura mente, quisquis adeſt, lingua faveat, atque procul profanus abſit! neque enim hominis mihi videor, ſed numinis videre adorandam imaginem, nempe CATONIS, Porciae familiae principis, qui a ſeveriſſima in omnes ordines


ad pag. 46.



XIII.







ordines cenſura Cenſorii cognomen reportauit, in quo viro tam verſatile ingenium ad omnia fuiſſe, veteres vno ore et communi conſenſu referunt, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus, imo ad id vnum factus videretur, quodcunque ſuſciperet. In iure ciuili autem adeo excelluit, vt etiam libros iuris relinqueret, ſi vera POMPONIVS retulit. *L. 2. §. 38. ff. de orig. jur.* Venerabilis ergo et ſancta nobis gemma haec, quam BEGERO *) debemus. Sequens eiusdem, vt videtur, CATONIS icon ex VRSINO eſt. Nonne enim in vtraque caluitiem eandem animaduertis ac lineamenta non plane diſſimilia, ſi virilem aetatem a rugoſa et exeſa ſenectute ſecernas. Neque dubitationem iniicit barbati atque detonſi menti diuerſitas. Nam iam tum ex Sicilia tonſores in Italiam venerant, quod anno vrbis CCCCLIV. factum eſſe, ex Varrone PLINIVS **) retulit. Sed non videntur ſtatim omnes barbam poſuiſſe, et ipſe tenacior moris priſci

*) Begeri Florus p. 375.

**) Plinius Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 59. Varro de re ruſtica 2, 11, 10. Gellius lib. 3. cap. 4.

prisci CATO forte nutriuit ad senectutem vsque. Hoc mihi, qui thesaurum imaginum possideo, quarum indicem nuper publicaui, *) nullo modo stupendum aut mirabile videtur, cum etiam inter recentiores iureconsultos nonnulli primum barbati, deinde vero tonsi in picturis appareant. Eadem res accidit in capillamentis. GEORGIVS ADAMVS STRUVIVS, vt alia exempla taceam, cum se primum depingendum daret, suis adhuc et naturalibus vtebatur crinibus, postea in fictis seu capillamento apparet. Cur ergo in CATONE idem accidere, cur non in hoc quoque euenire potuerit, vt in senectute, quam virili aetate, comtior esset? Videant eruditi annon CAROLI MAGNI barba eandem fortunam habuerit, cum illa in quibusdam monumentis appareat, in aliis vero desit. **)

MONV-

*) Effigies iuris consultorum in Indicem redactae, Lips. 1760. 8.

**) Vide supra Monumentum V. et Pagenstecherum de barba th. 9.

MONVMENTVM XV.

Poena, quae corium et capillos afficit.

Articulus quadragesimus sextus in libro tertio Speculi Saxonici ita loquitur: *An varenden Wiven und an siner Amien mach en Man Not don, und sin Lif verwerken, of he se ane eren Danc beleget*, quae verba Polonus hoc modo latina fecit: „In meretrice autem et in „alicuius concubina committitur violentia, et, „si eam quis praeter suam volentiam violet, in „vita condemnetur.„ Huic orationi non satis conueniens pictura, quam Codex Oldenburgicus appositam habet, si quidem poenam non capitalem, sed fustigationis, exprimit, nisi forte verba *Lif verwerken* de corpore potius quam de vita accipias, quod tamen alius locus Speculi *) fieri non patitur, vbi capitalis poena

*) Ius Prov. Sax. lib. I. art. 13.

poena violentis dictatur. Parum ergo abest, quin hanc picturam ad praecedentem Speculi articulum pertinere, adeoque alieno loco positam esse existimem. Per *Varende Weiber* ambulatorias et vagas vxores intelligit. *Amie* autem amasiam et concubinam, *Verwürken* irretire seu obstringere significat. His expositis in tabulam oculos conjiciamus. Adest foemina, quae, cum partim vittata partim capillata sit, nec virginem nec vxorem, quid ergo? concubinam refert. Huic vim inferre masculus conatur, neque illa tamen pati, sed reluctando et crinibus arreptis a se amouere. Praeter hanc meretrix vi compressa adstat, annulum violatori monstrans, vt aut ducat, aut poenam luat, virgarum nempe et decaluationis, quam paratam habet lictor virgis et forfice terribilis. Nunquam enim virgis quis caedebatur, nisi capillos prius carnifex tondendo sustulisset, aut interdum etiam trochlea, vt videbimus, penitus extirpasset. Nempe fustium ictus refertur inter poenas *so an Haut und Haare geben.* Neque tamen trochlea, de qua dixi, a pictore huius codicis pessimo caeteris poenae instrumentis addita; trochlea, inquam, seu tractoria, vt me-

chanici

XV. ad pag. 50.

chanici loquuntur, machina, qua, aereo ligneoue orbiculo per axillum se voluente, cum funis trahitur, vis mirum in modum crescit. Eius tamen Glossa meminit *). *Zu haut und zu habre, das ist, dass man einem zur staupen slaeget und windet ihm das Habr mit Kloben aus dem haupte.* Rideat haec, tanquam inepta, quisquis velit, ego tamen haereo, cum apud RICCIVM alium locum, ex nescio quo libro depromtum, sed eiusdem plane sententiae forte fortuna inuenerim, quem transcribere placet: *Neben solchen Schlägen, hat man einem die Haar aus dem Kopf, mit einer hulzern Kluppen oder Knebel, aus dem Haupte (auf dass man solche glazige Buben kennen und sich vor ihnen hütten mögen) gewunnen: ja auch die Haut damit abgestreifet.* Rem igitur non plane falsam Glossatorem narrare, sed tonsuram a decaluatione distinctam fuisse, crediderim. Nempe, si forfex tolleret capillos, haec minor poena; maior autem, si detracta cute, nec vnquam renascente coma, facinorosi perpetua caluitie notarentur. Posterius

*) Glossa ad Art. 13. libri secundi Speculi Saxi

rius dicebatur *einem das haar abſchlahen.* *) Aliud ergo tondere, aliud deglubere. Hoc poſterius quidem artibus deperditis adſcribamus, licet inter eas non obſeruauerim apud PANZIROLVM, **) eiusque commentatorem SALMVTHIVM. Ne dubites; adducam teſtimonia, nempe articulum 28. libri ſecundi in eodem Speculo, vbi latinus interpres: *Si diuturno tempore hoc fecerit, eius crines et cutis tormentis ſubjiciantur*; deinde Conſtitutionem HENRICI TERTII:***) *Illi, qui huius facti dux et princeps fuerit, tollatur corium et capilli.* In antiquo foedere, quod libro ſecundo inſeruit RHENANVS, ita ſcriptum: *Siquis ſicli, aut duorum ſiclorum pretii furtum aut praedam fecerit, corium cum capillis perdat.* In Legibus Longobardicis vero: ****) *Et faciat eas decaluare et fuſtare per vicos.* Decaluare autem a calua, quae cum caluaria et cranio fere eadem eſt, deriuamus. In Annalibus Fuldenſibus narratut:

*) Spec. Sueuic. art. 148.

**) Pancirolus de rebus memorabilibus deperditis.

***) Apud Eccardum ad L. Salic. p. 202.

****) LL. Longob. lib. I. tit. 17. §. 5. in Gergiſcb. Corp. I. Germ. p. 1107.

ratur: *Caſtello potiti alios quidem occiderunt, alios vero in exilium miſerunt, aliosque etiam, capillis et* CVTE DETRACTA, *cum magna confuſione inde expulerunt.* VRSINVS in vita S. Leodegarii cap. XIV. *Condemnatus ab ipſa ſynodo caluariam accepit in capite, et expulſus ſegregatur a ſancta congregatione.* Vt autem, cum linguam praecidi ſententia iubet, non tota eripitur, ſed partem anteriorem ſolum cultellus praecidit, ita non totam capiti cutem detractam trochlea, ſed tantum exiguam caluariae partem denudatam fuiſſe, crediderim. In Chronico Laurishamenſi p. 74. legimus: *Cutem et capillos amittere*, et in Lege familiae Burchardi episſcopi apud CANGIVM ſub titulo Corium: *Conſtituimus, vt ei tollantur corium et capilli.* Sed de caluitie ſatis, quae non tantum opinionibus hominum ignominioſa et inſtitutis ciuilibus certa turpitudinis nota, ſed plane naturalis deformitas eſt, ſi eleganti formarum iudici OVIDIO credimus:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, et ſine crine caput.

MONVM. XVI. XVII. XVIII.

An Pedum episcopale augurum lituus sit?

Tametsi catholicae ecclesiae antistites ipsi non diffitcantur, veteres christianos varia ex Romanorum sacris adoptasse, atque ego in Litteratura Iuris *) indubitatis exemplis hoc demonstrauerim, tamen iis subscribere vereor, qui pedum episcopale a lituo, auguratus insigni, repetunt. **) Apparet enim ex appositis documentis, lituum valde curtum et virgam breuem fuisse. Longius sane pedum et omnino pastorale instrumentum. Nam ex eo tempore, quo Christus Petro dixerat: *pasce oues meas* ***) sacerdotes pecudum magistris quam simillimi fieri studuerunt, vt, quin etiam pallii ornamentum ab

*) Litteratura juris lib. 1. c. 3. p. 93. seq


**) Gregor. Tholos. Syntagm. lib. 15. c. 12. n. 40. Heusinger von Nuzen der Münzwissensch. cap. 7. §. 8.

***) Ioh. XXI. v. 15. 16. 17.

XVI

ad pag. 54.





ab iis mutuati sint, non dubitem, siquidem vel notissimus ille versus, in ferulam episcopalem compositus, hoc satis innuit:

Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Videntur autem ipsi pontifices pedo quondam vsi, quod tamen postea dimiserunt, ne viderentur eo, vt caetori episcopi, ab imperatore inuestiti. Ait enim LUITPRANDVS: Benedictum abrogatum LEONI Pontifici pallium et ferulam misisse. Caeterum iam GREGORIVS NAZIANZENVS *) eius mentionem facit, et CAROLI M. tempore talem baculum praesules gestasse, MONACHVS S. GALLI *de gestis Caroli Magni in libri primi capite decimo et nono* attestatur. Seculo VII. etiam abbates hoc ornamentum sibi arrogarunt, eo tamen discrimine, vt ab horum baculo sudarium pendeat.

Nunc adse lectorem monumenta vocant, quae luce ita splendent sua, vt nullo commentario indigere videantur. Primum EBERMAYERI Sardius est ex annulo veteri, delineando amplificatus, qui PARIDIS pastoris iudicium exhibet. Si num-

*) Gregor. Nazianz. Orat. 42. p. 690.

nnmmum deſideres, rogo, vt monumentum inferius numero XIX. notatum intuearis, in quo lis de pulchritudine, eodem paſtore iudice, eleganter expreſſa. In monumento decimo et ſeptimo M. LEPIDI ſtatua equeſtris, velato capite cum lituo, quia pontificatum maximum gerebat. Nam, vt plerique exiſtimant, etiam pontifices hoc ſigno dignoſcuntur. Sequitur NVMA, cultus deorum praecipuus inter Romanos auctor, eodem lituo ſpectabilis.

---

ad pag. 56.


XVII.



XVIII.







MONVMENTVM XIX.

Litigiatores, ſedente iudice, ſtantes.

Lupus arguebat vulpem furti crimine,
Negabat illa ſe eſſe culpae proximam;
Tunc iudex inter illos ſedit ſimius.

Sediſſe ſimium, pulchre PHAEDRVS. Nam et in PARIDIS iudicio, quod nummus exhibet, de forma concertantes VENEREM, IVNONEM atque MINERVAM, vtut deae ſunt, ſtare videmus, ſedente paſtore, quem iudicem elegerant. Rogo tamen, ne hunc nummum potius, quam monumentum XVI. intuearis, in quo idem PARIDIS longe venuſtius, in gemma, arbitrium. Nolo, quae alii de hoc iudiciorum more vulgaria protulerunt, dicendo iterare, ſed potius in rem ſatis cuique cognitam flores quoſdam, non tam in fertum ſtudioſe colligere, quam libera manu et negligente, vt menti ſubueniunt, ſpargere. Primum na-

turaliter omnes homines ſubtiliori ingenio et acriori poteſtate iudicandi ſe valere, arbitrantur, quando ſedent, quam cum erecti ſtant in pedibus. Nempe ſapientia quietem amat. Vnde apud PLAVTVM *) cum herus Tranionem ſervulum, quem de re graui conſulturus eſt, forte ſedentem ſurgere iuberet, hic vt ipſum ſedere patiatur, rogat; firmiora fore conſilia, ſi ea ſedens pronuntiet:

Nimio, ait, *plus ſapio ſedens.*

et alio loco **)

— — — TH. *Nimis quam es orator catus.*
CA. *Sine me dum iſtuc judicare: Surge! ego iſtic aſſedero.*

Hoc fortaſſe (*in capit. final. de ſentent. in 6to*) ſecum reputauit pontifex BONIFACIVS VIII. cum hoc mirabile ſtatueret: *Sententia, quam a judice ſtando, non ſedendo, proferri contingit, nullius penitus eſt momenti.* Vix riſum continui, cum huius capituli interpretes et Bononienſes iuris pontificii gloſſatores anxie ſollicitos

*) Plaut. Moſtellaria Act. 5. Scen. 1.
**) Ibid. Act. 5. Scen. 2.

ad pag 58.



XIX.



tos inter se disceptare legerem: *An equitans sententiam recitare possit?* quo tempore in memoriam redibat illa iocularis, cuius GELLIVS **) meminit, philosophorum disceptatio: surgens vtrum stare, an sedere videatur? Prisci, quos Romanis praefero, Germaniae populi, pariter, vt iudex sederet, necessarium existimauere, quam in rem Susatentium legem, in declamatione nostra de legibus ridiculis nuper produximus, quae ita habet: *Iudex sedeat in tribunali vt toruus Leo, et ponat dextrum pedem supra sinistrum.* Cur vero Germanica verba non adducimus? *Der Richter sol sizen auf dem Richterstuhl, als ein griesgrimmender Löwe, und sol den rechten Fuss schlagen über den linken.* Sed vt Quiritium ad mores reuertamur, eos satis luculenter PLINIVS **) significauit, haec de se proferens: *Ipse, cum tribunus essem, abstinui caussis agendis, quod deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc, omnibus sedentibus, stare.* Neque vnus praetor sed

*) Gell. Noct. Att. lib. 6. cap. 13.
**) Plin. lib. 1. epist. 23.

ſed eius quoque, quemadmodum ex ipſo nomine intelligitur, aſſeſſores ſedebant, ſi ſacri conſiſtorii comites excipias, quos princeps, ſi ius diceret, conſiliarios habebat. Hos, ob reuerentiam maieſtati imperatoriae debitam, initio ſtetiſſe, ex verbo colligimus. Poſtea vero, cum principes Romani non amplius conſiſtorio ipſi intereſſent, conſiſtorianos quoque comites ſediſſe, certum eſt; unde non mirum, ſi, quae poſtremis temporibus ſcripta fuerunt, graeca gloſſaria Conſiſtorium principis *conſeſſum* dixerint.

MONV-

MONVMENTVM XX.

Manumissio coram praetore per vindictam.

Manumissionis per vindictam is quondam ritus, *) vt dominus apud praetorem haec verba diceret: HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO MEAQVE MITTO MANV, deinde eum, colapho impacto, in gyrum circumageret, tandem pronunciatis a praetore verbis quibusdam legitimis, lictor virgam adderet, ut ex *L.* 8. *ff. de manumissis vindict.* cognoscimus, in qua VLPIANVS: *Ego cum in villa cum praetore fuissem, passus sum apud eum manumitti, etsi lictoris praesentia non esset.* Manumissionis huius solemnia in vetere quodam marmore, a MARCHVCCIO**) edito, IOHANNES FRIDE-

*) Faber lib. 2. Semestr. cap. 20.

**) Antiquarum statuarum vrbis Romae icones, cura Iac. Marchuccii. Romae 1623. fol.



FRIDERICVS CHRISTIVS depicta credidit, cuius ex Noctibus Hallensibus verba adscribamus: *Duo videlicet apparent in hac imagine servuli, pileati, nudi caetera, nisi quod inguen linteo tecti: alter, puto, iam manumissus, manu autem mittendus alter. Is quidem ad pedes patroni provolutus, pro data libertate gratias agit. Sic enim serui consuerant etiam deprecari.* PETRONIVS *in Satyrico pag. m.* 48. Caeterum, *inquit*, vt nouimus dextros gressus, servus nobis dispoliatus procubuit ante pedes, et rogare coepit, vt se poenae eriperemus. *Alterius vero serui currentis et scuticam laeua tenentis, qua vti solebant, opinor, ad submouendam in publico turbam obviam, sibique festinantibus subinde molestam, herus dextram prehendit, quod manumissionis signum erat. Nil ergo restat in hoc lapide e manumittentis simulacro, praeter dextram eius seruo porrectam, caetera vetustate confracta sunt. Adstat praetor togatus, prolixo atque fluctuante, quod elegantiae fuerat, sinu: dextra gestans virgam seu bacillum, ex more nimirum magistratuum, vt* G. POPILLIVS LAENAS *virgam etiam gessit, qua circumscripsit* ANTIOCHVM, *teste* LIVIO *libro XLV.*

cap.

XX.

ad pag. 62.

cap. XII. Ne videlicet solos lictores virgam gestasse putes, quod egregie docuit I. LIPSIVS *Electorum cap. XXIII. aut, qui in hoc lapide expressus est, lictorem esse. Quod nisi toga prolixa, aliis etiam argumentis refutatur. Lictores enim, etsi non semper, putem, sola tunica, vt caeteri tenuiores ciuium, vsos, togula tamen magis erant amicti, quam toga. Sed haec de virgis in manu magistratuum. Laeua vero praetor tractat vindictam, seu festucam: qua deinde lictori tradita, seruus e manu domini missus circumagebatur. Vulgo quidem ista nota sunt: nihil addo, nisi vnum* PLAVTI *versum, e milite glorioso, vbi Pyrgopolinices Palaestrionem, mulierem sibi commendantem, rogat,*

Quid ea ingenua, an festuca facta, serua an libera est?

et respondet seruus:

Vah, egone vt ad te a libertina esse auderem internuncius,
Qui ingenuis satis respondere nequeas cupidis tui?

Quibus e verbis agnoscis libertinas dici festuca factas, quod illum morem graphice depingit.

MONV-

MONVMENT. XXI. ET XXII.

Ministeria palatina ab officialibus in equo praestita.

Hereditarii regum archiofficiales plerumque vicarios alere solebant, qui principi suo dapes in mensam ferrent, vinum in cornua funderent, aut aliis modis operas domino singulis diebus praestarent, ipsi enim tantum in coronationis festo, aut aliis maxime solemnibus diebus, ministrabant equo insidentes. Probat hoc in Glossario CANGIVS, sub titulo Seneschalcus, ex priuilegio ALPHONSI imperatoris, anno MCCLVIII. FRIDERICO duci Lotharingiae dato: *Et de infra scriptis dignitatibus et feudis primum vexillum damus tibi pro ducatu in feudum, in quo, et per quod, debes esse summus Seneschalcus in aula nostra citra Rhenum, et debes nobis servire in annalibus festis de primo ferculo eques,* deinde

ad pag. 64.

XXII.



XXI.







deinde ex veteri ſcriptore OCTAVIANO DE S. GELASIO, qui de expeditione Neapolitana Caroli VIII. regis Franciae haec ſua in lingua commemorat: *Et ſouppa en la grant ſale dudit Chaſteau, et fut ſervi par le grant Seneſchal de Naples, tout à cheval.* Haec inſervire poſſunt ad illuſtrandam CAROLI IV. Auream Bullam, in qua capite vigeſimo et ſeptimo illa in vulgus nota obueniunt: *Deinde marchio Brandenburgenſis, Archicamerarius, accedat, ſuper equo habens argenteas pelves cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti et pulchrum manutergium, et deſcendens ab equo, dabit aquam domino imperatori vel regi Romanorum manibus abluendis. Comes Palatinus intrabit ſimiliter ſuper equo, habens in manu quatuor ſcutellas argenteas cibis impletas, quarum quaelibet tres marcas habeat in ſtatera, et deſcendens ab equo, portabit et ponet ante imperatorem vel regem in menſa. Poſt hos rex Bohemiae, Archipincerna, veniat ſimiliter ſuper equo, portans in manibus cuppam ſeu ſcyphum argenteum ponderis duodecim marcarum, coopertum, vino et aqua permixtim impletum, et deſcendens de equo, ſcyphum ipſum imperatori vel regi*

 Romano-

Romanorum porrigit ad bibendum. Quid mirum ergo si nobiles et hereditarii regum principumque officiales se depingendos curarent super equo ministrantes? Pincernam iam exhibemus equitem, deinde etiam SIGILLVM PILCRINI DE PVECHHAIM DAPIFERI AVSTRIAE. *) Pulchrum sane spectaculum viri nobilis incitato equo patinam afferentis. Vae sago! vae pulcherrimis caballi ephippiis, si longiora coqvus iuscula apparauerit!

MONV-

*) Ector in libello de Hereditariis prouinciarum Austriacarum Officialibus, sigilli vtriusque nobis copiam fecit.

MONVM. XXIII. ET XXIV.

Lex Publicia de lusu et sponsionibus. Aliae leges talariae.

Antica nummi superioris pars siue Romae siue Honoris caput exhibet, cum denarii nota; supra malleus insigne familiae. Nam, vt documento sunt litterae in postica appositae, GAIVS MALLEOLVS signauit. Prope statua hastata pedem in thorace ponit ante trophaeum. Sed turbant et oculos retinent curiosiores duae quadraturae, quarum vni litterae G. MAL. inscriptae. VAILLANTIVS, cui hoc monumentum acceptum habeo, incudem ex iis facit, forte vt, qui in altera parte praesto est, malleus, si otiosus esse nolit, habeat, in qua exerceri possit. Ego vero, aut duas legum tabulas mihi videor, aut, quo magis inclino, tesseram videre. Fuit nempe GAIVS




MALLEOLVS ex Publicia familia. Sed Publiciam de lusu legem nouimus. Neque minuit probabilitatem, aut assensum impedit, hanc legem non familiari C. PVBLICII MALLEOLI, sed gentili eius nomine designari. Habet nimirum hoc cum caeteris legibus omnibus commune. Nam et Corneliae et Iuliae non familiari CAESARIS aut SVLLAE, sed gentis nomine insignitae. Legis autem Publiciae vnica est in *L. 2. et 3. ff. de aleat.* mentio, quas operae pretium est, vt ex Codice Tusco adscribamus: PAVLVS LIBRO NONO DECIMO AD EDICTVM: *Senatus consultum vetuit in pecuniam ludere: praeterquam si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fit. Martianus libro quinto regularum: In quibus rebus ex lege Titia et Publicia et Cornelia etiam sponsionem facere licet. Sed ex aliis, vbi pro virtute certamen non fit, non licet.* Quaenam vero Publiciae et Corneliae leges? a quibusnam illae? centuriatisne, an tributis comitiis latae? quo tempore? quibus consulibus? Tacet de his omnibus diligentissimus in titulos Digestorum et Codicis de aleatoribus commentarius PETRI

PANTO-

ad pag. 68.











PANTOIAE DE AGALA, tacet ANDREAS SENFTLEBIVS in docto de alea veterum opusculo, nec quicquam ANTONIVS AVGVSTINVS et HOTOMANNVS cum caeteris, qui leges Romanorum et plebiscita enumerant, definiunt, nisi quod Hotomannus eam non satis accurate SVLLAE tribuit. Sed et Senatusconsultum a PAVLO commemoratum quale fuerit? nullibi explicatum. Anne forte illud Macedonianum? Praeterea legis, nescio cuius, de alea CICERO *) mentionem facit, commemorans LICINIVN DENTICVLAM, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, *lege quae est de alea*, condemnatum, ab ANTONIO vero collusore restitutum fuisse. Noster vero nummi auctor, qui anno vrbis conditae DCLXXIII. quaesturam iniit, hanc legem tulisse non videtur, sed potius, vt fieri assolet, suorum maiorum facta repraesentasse, cum PLAVTVS, **) qui anno vrbis conditae DCXX. exspirauit, legis iam mentionem faciat talariae:

Atque

*) Cicero Philip. II. cap. 23.
**) Plautus in milite glorioso.

Atque adeo, vt ne legi fraudem faciat talariae,
Accurate vt fine talis agitent conuiuium.

Comice et fuo more, quo et Laetoriam legem *Quinavicennariam* dixit, non Titiam PLAVTVS, non Corneliam, non Publiciam; fed, ab argumento, *Talariam* vocat.

Multo intricatior alterius nummi feu monumenti XXIV. fenfus. Caput deae adeft pulcherrime cinciuatum, quam Sortis aut Fortunae imaginem puto. Litteris C. S. incuria eius, qui formam ferream cudit, pro SC. pofitas, non dubitauerim fenatusconfultum indicari. In auerfa tali confpiciuntur, quorum ex hoc numerum difcere et cognofcere poffis, quatuor*) fuiffe. Sunt vero tali animalium bifulcorum officula in fuffragine pedum pofteriorum, quae a tefferis eo differunt, quod hae fex latera plane aequalia, feu cubi formam, habeant, tali vero quatuor tantum, cum ab vtraque extremitate longitudinis in rotunditatem deflectant. Si in hac curua parte talus forte confifteret, rectum talum

*) Quatuor fuiffe etiam colligitur ex Cicerone lib. 1. de divin. cap. 13. et lib. 2. cap. 21.

talum vocabant, atque ille felicior casus, quia rarior. Sed quid verba sibi volunt: QVI LVDIT ARRAM DET QVOD SATIS SIT. Arrae quidem notio iuris studiosis non incognita, cum scilicet aeris aliquantulum datur in signum contractus consummati, vt, quod deest summae promissae, postea compleatur. Ita, si in pecunia consisteret. Sed annulis quoque aliisque pignoribus vtebantur in sponsionibus, vt locus PLINII *) testatur: *At sponsiones etiamnum annulo exiliente eo tempore, quo nondum erat arra velocior*, et VLPIANVS in *L.* 17. *§. fin. ff. de praescript. verb.* docet, immo PLAVTI **) versus:

— — — Talos poscit sibi in manum,
Provocat me in aleam, vt ego ludam. Pono pallium;
Ille suum annulum opposuit.

Haec omnia licet probe teneamus, tamen vix quicquam valeo ex verbis: QVI LVDIT, ARRAM

*) Plinius Hist. Nat. lib. 33. cap. 1.

**) Plaut. in Curcullione act. 2. Scen. 3. v. 75.



RAM DET QVOD SATIS SIT, elicere. Primo velim ſcire: quis nummum cuderit? An rex forte in conuiuio creatus menſe Decembri, quo Saturnalia agebantur? Porro, an *Ludere arram* ſit, fidem habere de pecunia, et annulum ſiue aliud ſignum victori tradere, vt eo probare poſſit, ſe viciſſe? aut denique *ludere arram* forte peculiare ludi genus fuerit, adeoque haec locutio eodem modo capienda videatur, quo par et impar ludere, vt luſum ludere dicimus? Perplexa ſane haec omnia, cum et ludere arram ſignificare poſſit, eam ludificare aut eludere. Quoniam igitur in re adeo obſcura ad coniecturas deueniendum eſt, iudicent lectores, an probabiliora ſint, quae mihi, an quae BAVDELOTIO in mentem venerunt? Exiſtimo videlicet talorum poſituras, quas nummus exhibet, certum talorum iactum referre. Nouimus enim varios euentus variis diſtinctos fuiſſe nominibus, cum interdum Vulturius Baſilicusue caderet, interdum Canis, qui omnium peſſimus, cum omnes quatuor tali in eam partem, qua facilius recubant, aequaliter prolabuntur. Contra vero iactus Veneris felicitate caeteros ſuperabat, cum ſcilicet ex talis nullus pari poſitura

situra cum caeteris staret, sed omnes essent diuersi. Vnde PROPERTIVS *)

Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
Semper damnosi subsiluere Canes.

Existimo igitur, in nummo venereum iactum expressum, et has figuras quasi litteras legendas esse hoc modo: QVI LVDIT ARRAM, DET QVOD iactui venereo SATIS SIT, hoc est, tantum poenae persoluat, quantum in alea, quam lusit, iactus Veneris valuit. Hoc meum somnium. Venio ad BAVDELOTII **) argutias, qui C. S. COPAM SYRISCAM meretricem interpretatur, de qua VIRGILIVS hoc epigramma fecit:

Copa Syrisca, caput Graja redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta mouere latus.
Ebria, famosa, saltat lasciua taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Pone merum et Talos, pereat, qui crastina curat!
Mors autem vellens: viuite, ait, venio.

Num-

*) Propert. lib. 4. eleg. 9.

**) Baudelot de l'Utilite de Voyages pag. 645, ex quo libro nummus rarissimus huc translatus est.

Nummum igitur, de quo agimus, quasi amoris et amicitiae tesseram datum fuisse opinatur a COPA SYRISCA iis, quibus noctem addixisset. *) Iam omnis de hoc nummo fabula acta est, vos lectores iudicate.

MONV-

*) Burmannus Antholog. T. 1. p. 708. Baudelotium irridet, et *copam Syriscam* non nomen foemineum, sed cauponam ex Syria vetulam interpretatur.

MONVMENTVM XXV.

Duellum judiciale viri et mulieris.

Cum quibusdam in locis mihi res admodum vulgares, imperitorum caufa, repetendae fint, nefcio faepius, qualia his delinimenta quaeram, ne facilitate nimia commentarius in faftidium vertatur, aut ofcitantia, quam fingularibus quibusdam adfperfis, quantum fieri poteft, auertere ftudebo, obrepat iis, qui vulgo doctiores funt. Vix vlla res iudicialibus per arma certaminibus, de quibus iam dicendum nobis eft, alia vulgatior. Nempe, fi in caufa dubia, aut quod teftes inftrumentaue deficerent, aut res controuerfa legibus nondum effet decifa, iudex fibi non liquere pronuntiaffet, tam petitori quam reo, modo ftatu et dignitate pares effent *) petere licebat, vt ferro contenderetur.

*) II. F. 27. §. 3.

deretur. Hoc modo lites, quasi decernente deo, fortunae et armorum aleae committebantur. Priusquam tamen hoc iudex permitteret, prouocans sacramento confirmabat, tactis euangeliorum libris, se suam causam iustam putare *) idem et alter iurabat. Post haec, per sententiam interlocutoriam, iudex duellum imponebat. Licet vero in Italia hoc probationis genus sustulerit e foro COELESTINVS III. anno MCXCII. et GREGORIVS IX. in celeberrima bulla, imprimis ob eam causam fulmen in Speculum Saxonicum vibraret, atque duellandi rationem in eo damnaret, tamen in Germania adhuc anno MCCCCL. in Iudicio Rotvilensi per sententiam iudicis, decretam fuisse digladiandi necessitatem, GOLDASTVS refert. Die certaminis ambo, sedente iudice cum assessoribus, cancellos intrabant, quibus circus muniebatur, praecone edicente: ne quis voce, manu, nutu pugnantes turbare audeat. Sic inter tubarum vndique clangentium sonitus, se pugnae parabant, invocato diuini numinis auxilio. Solebant etiam

*) Auctor Fletae §. 28. 29.

XXV.

Da statt wie Man vnd Frowen mit ein ander kampffen sollen. Vnd stend hie In dem Anfang







ad pag. 76.



etiam ſacerdoti peccata confiteri, et abſolutione impetrata, corpus Chriſti comedere, antequam in arenam deſcenderent. Stabat in medio vtriusque ſarcophagus et feretrum, quo victus efferri poſſet. *) Primarium quippe victoris officium, vt aduerſarii funus ſplendide et, quantum poſſet, magnifice duceret. Locus huius rei claſſicus in Speculo Saxonico, **) vbi etiam de contumaciae accuſatione, ſi prouocatus eremodicium contraxiſſet: Verba latine a Polono verſa ita habent: *Iudex cuique duos praebere debet, qui videant, quod ſecundum conſuetudinem praeparentur. Quantum voluerint de corio et linteo induant, dummodo frontes, id eſt capita atque pedes, permaneant enudati. In manibus non niſi ſimplices habeant chirothecas: nudum in manu habeat gladium et cum vno vel pluribus, ſecundum cuiusque arbitrium, praecingatur. Clypeum ligneum corio tectum et non niſi vmbonem ferreum in manu ferant, et vnam tunicam induant, cuius manicae vsque ad cubitum ſe*

*) Mader de duello pag. 26. 27.

**) Ius Prov. Sax. Lib. I. art. 63.



ſe extendant. Iudex circulo pacem, ne quis eos impediat, debet ſub poena capitis demandare. Cuilibet eorum judex vnum, qui arborem ſeu phalangam eius ferat, ordinabit, qui ferentes neminem eorum vllatenus impediant. Sed ſi eorum quis ceciderit, vel vulneratus fuerit, vel arborem petierit, idque judex conceſſerit, arborem interponat. - - - - Splendor ſolis eis dividatur, quando procedunt. Si reus vincitur, condemnatur; ſi vero vicerit, donata ſibi ab actore emenda et judici multa, abſoluetur. Actor in circulum prior veniat. Et, ſi reus venire protraxerit, judex eum debet tribus vicibus per praeconem de domo, in qua praeparatur, adhibitis duobus Scabinis, evocare. Quod ſi in tertia vocatione non venerit, actor ſurgendo ſe debet duello praeſentare, et verberando contra ventum, eum ſuperabit in querela contra eum propoſita: ac judex eum, tanquam duello eſſet ſuperatus, condemnabit. Neque ſolum hoc diuino iudicio de poſſeſſionibus ſolebant, de dotibus et haereditatibus diſceptare, verum etiam ab obiectis criminibus ſolenniter ſe purgare. Nouimus etiam leges nouas introductas et abrogata iura fuiſſe per hoc ordalium. Praeterquam enim

enim quod OTTO MAGNVS: an ius repraesentationis recipi possit? per gladiatores explorauit, *) hoc etiam, vt imperatori ius esset principes imperii ad se euocare, eodem plane modo inductum est. Cum enim FRIDERICVS PRIMVS HENRICO LEONI crimen laesae maiestatis obiiceret, *principesque et barones fautores ducis*, vt verbis Abbatis Vrspergensis dicam, *contra imperatorem hoc jus tenere vellent, quod imperator ducem condemnare non posset, vel terras abiudicare, nisi intra terras suas* (scilicet principis) *placitum constitueret, quidam nobilis exsurgens, in medium proposuit, quod lege duellionum hoc vellet obtinere, contra quemlibet secum pugnare volentem, quod imperator posset quemlibet principem vocare pro justitia ad locum, quemcunque vellet, intra terminos imperii sui existentem. Cumque nullus ei se offerret ad pugnam, edicto imperatoris praefata sententia pro iure perpetuo obtinuit.* Quid autem, si viro cum muliere controuersia esset, aut

*) Witechindi Corbejensis Annal. lib. 2. p. 644. Sigeb. Gembl. ad ann. 942.

aut vxor cuiusdam a marito vel ab alio adulterii accuſaretur? Tunc, ſi foeminae nollent in arenam deſcendere, per procuratorem ſe duello purgare ſolebant. Nam in legibus Longobardicis *) ita ſcriptum: *Si quis puellam aut mulierem liberam fornicariam aut ſtrigam clamauerit - - - per Campionem cauſa, id eſt per pugnam, ad Dei judicium, decernatur.* Campiones autem illi dicuntur, qui venalem animam trahunt, et ſanguinem vendunt arenae. Interdum vero agnati proximi, aut etiam extranei ex fortibus et generoſis militibus foeminarum defenſionem vltro ſuſcipiebant. In plerisque enim ordinum militarium regulis primaria fuit, viduas et pupillos defendere. Aurati quippe, vt dicebantur, equites in ipſis in augurationis ſolemnibus ſe tuituros eſſe cauſas miſerabilium perſonarum, ſiue vt regula militaris ordinis diſſertis verbis habet: **) *Viduas, pupillos ac orphanos, in eorum neceſſitate protegere, et pro liberatione cuiusuis innocentis DVELLVM inire.*

*) Lex Rotharis 198. in Georgiſchi Corp. Iur. Germ. pag. 980.
**) Magn. Chronic. Belgic. apud Piſtor. Scriptor. Rer. Germ. Tom. 3. 244.

inire. Eſtne quisquam, qui vel ex fabuloſa hiſtoria ignoret, quam fortiter DOMINVS QVIXOTIVS haec omnia fecerit? Fortibus tamen, quae fiduciam ſui haberent, foeminis non denegabatur ſe ipſas defendendi licentia. Tunc vero ob ſexus inaequalitatem, aut armorum diſparilitate, aut ſic, vt foemina libere, mas autem fovea circumſeptus dimicaret, rem quodammodo ad aequum perducebant. Notus admodum ac iam ſaepius ab aliis laudatus STVMPFII locus, qui in Chronico Heluetico germanice ſcripto refert, anno MCCLXXXVIII. in vrbe Berna mulierem certamen ſingulare publice cum viro iniiſſe, eumque ſuperaſſe.

Nunc ad monumentum deuenio, quod EPHRAIMVS GERHARDVS *) ex Codice manuſcripto bibliothecae ducalis deſcripſit, cui nunc Gothae ſumma cum laude praeeſt, illuſtre ac praecipuum litterarum decus, IVLIVS CAROLVS SCHLAEGER, amicus, quo non alium habeo cariorem. Patent per ſe in hoc monumento omnia, vt ſi paucula verba, quae appoſita

*) Gerhardi Tract. jurid. de judicio duellico.

appoſita ſunt, latine fecerim, non videam, quid praeterea adjiciendum ſit. In ſuperiore parte haec leguntur: *Hic poſitum eſt, quomodo mas et foemina ſecum dimicare debeant, et ſtant hic in initio.* Ad latus maris, qui ad vmbilicum in fouea eſt, haec adſcripta: *Ita ſtat ipſe in fouea vsque ad dimidium, et eſt claua tantae longitudinis, quantum funda procedit a manu foeminae.* Denique prope mulierem haec pictor verba collocauit: *Hic ſtat foemella libere, et percutere conatur, et habet lapidem in funda quatuor aut quinque pondo grauem.*

MONV-

MONVMENTVM XXVI.

Fuga Hugonis Grotii.

Ex iureconſultis recentioribus, quosdam magni nominis in nummis obuenientes interdum proponemus, omnes enim dare et promiſcuos, nullo modo placet. Ac quis hoc poſſit, cum vel primum volumen Muſei Mazuchelliani ad octoginta iuſtitiae ſacerdotes in nummis exhibeat? Qui praeſens eſt, HVGONIS GROTII, non formoſae quidem, ſed fidae et callidae vxoris, nobile facinus refert, maritum in ciſta cuſtodiae auferentis. Non inuenuſte hoc GROTII receptaculum, quod ipſe cum viueret ſancte et reuerenter, tanquam ſalutis ſuae inſtrumentum, ſeruaſſe et coluiſſe nouimus, vtrinque radios projicit, vt ſignificetur, quantum contineat ſidus. E longinquo arcem poſuere, quae captiuum continebat, cum nomine: LOEVESTEIN, ab altera parte ſol fere oriens diei horam monſtrat, qua liberatus

eſt. Binae, quae impoſitae, coronae quid aliud, quaeſo, quam regna Galliae et Sueciae indigitant, quorum in miniſterio poſtea glorioſe verſatus eſt. Infra annus natalis cum emortuali, ſupra: MELIOR POST ASPERA FATA RESVRGO. Quo excellentior autem nummi auerſa facies, eo turpior altera, quae caput exhibet furis cuiusdam aut Iudaei crediderim potius, quam GROTII. Neque enim is ingenuus eius et liberalis vultus, quo in caeteris nummis tabulisque apparet. Caeterum de liberatione immortalis viri, quos BARLAEVS fecit, verſus addimus;

Hactenus inuiſa detentus carceris vmbra,
Ereptum vlterius non tulit HVGO *diem.*
Fata viam inuenient. Tabulis includitur arctis,
Quemque capax mundus non capit, arca capit.
Nauigat et liber, ſimul et captivus, et inter
Spemque metumque ſuum laudat et odit opus.
Aut ſolem mihi reddet, ait, fraus iſta priorem,
Aut iterum ingenio ſum miſer ipſe meo.
Quid fortuna ſtupes? toti mirabilis orbi,
Non niſi vult miris liber abire modis.

MONV-

ad pag. 84.



XXVI.





MONVM. XXVII. XXVIII. ET XXIX.

Lex Iulia de maritandis Ordinibus.

Quem in bello triumphi, hunc in pace perlatae leges honorem praestant, neque alii reges posteritati mirabiles, nisi qui aut armis propagarunt imperium, aut iure exornarunt. Cum vero paucis contingat armorum gloria, mirum sane, quare (quod magis in eorum potestate est, quam illa fluctuans et incerta praeliorum alea) quare, inquam, LYCVRGI, SOLONES, AVGVSTI fieri non studeant, si Alexandris esse non liceat. Quod autem diximus legibus aeternitatem et summam in pace gloriam parari, nemo CICERONE *) melius: *Equidem sic existimo*, inquit, *nihil tam esse in actis*

*) Cicero Philipp. I. cap. 7.

actis CAESARIS, *quam leges* CAESARIS. - - *Ecquid est, quod tam proprie dici potest actum eius, qui togatus in republica versatus sit, quam lex? Quaere acta* GRACCHI, *Leges Semproniae proferentur; quaere* SVLLAE, *Corneliae. Quid,* CNEII POMPEII *tertius consulatus, in quibus actibus consistit? nempe in legibus.* Senatusconsultum perfecisse, aut legem suasisse reipublicae salutarem, honorem fuisse et decus summum, si alia documenta desint, vel ex eo colligas, quod alicuius memoriam damnaturi, huius etiam nomen legibus ab ipso perlatis *) detrahebant. Quid? praecipuam causam, quare imperatores, si prole destituerentur, vivi spirantesque successores sibi designauerint, TROZIVS in libro de memoria propagata hanc putat, ne leges eorum immutarentur. Hinc, in nummis, vt victorias ab hostibus reportatas, ita saepe leges etiam commemorari videmus, quemadmodum in his, quos numero XXVII. et XXVIII. notauimus, OCCO, NONNIVS, TORRENTIVS, BVRMANNVS aliique docti homines Iuliam de maritandis ordinibus designari arbitrantur

*) Dio Cassius lib. 38. p. 63.

ad pag. 86.

XXVII.





XXVIII.

XXIX.



trantur, anno vrbis conditae DCCLVIII. ab OCTAVIO perlatam, quae multorum liberorum parentibus honores praefinivit, orbos contra coelibesque poenis coercuit. *) Laudatur ea lex ab HORATIO.:

Divo producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Foeminis, prolisque noua feraci
Lege marita.

Haec, eodem sub AVGVSTO, ampliata est per legem Papiam Poppaeam anno DCCLXII, latam, quae tres liberos Romae, quatuor in Italia et in prouinciis quinque habentibus, immunitatem **) tribuit, patres vt dotarent filias coegit, ***) neque coelibes orbosve quippiam ex testamento alterius capere passa est, ****) imo aliis praeterea, quos taceo, modis, vt patres liberos tollerent et imperium Romanum nouis

*) L. 1. C. de infirm. poen. coelib.
**) L. 147. ff. de verb. signif. L. 1. et 2. ff. de vacat. et excus. mun.
***) L. 19. ff. de ritu nupt.
****) Vlpian. Fragm. XVI. 1.

nouis ciuibus replerent, efficere ſtuduit. Haec coniectura et nummi expoſitio licet veri magnam ſimilitudinem habeat, neſcio tamen, annon acutius viderit GOLZIVS, qui in eo Parthorum vel aliorum barbarorum legatos depictos credidit, regem infantem AVGVSTO offerentes. Vt GOLZIO ſubſcribam, ſequens nummus mouet, in quo duo homines, eodem plane habitu, eidem AVGVSTO ramos olivae legati porrigunt. *) Braccati ſunt, non togati, vt valde probabile videatur, non alios niſi Parthos eſſe, qui ſui regis PHRAHATIS filium offerunt, de quo ita IVSTINVS **) Trogi epitomator: PHRAHATE *pulſo, regem Parthi* TYRIDATEM *quendam conſtituerant, qui ad Caeſarem profugit, obſidem* CAESARI (nempe AVGVSTO) *minimum filium* PHRAHATIS *ferens, quem negligentius cuſtoditum rapuerat. Quo cognito* PHRAHATES *legatos ſtatim ad Caeſarem mittit, ſervum ſuum* TYRIDATEM *et filium remitti ſibi poſtulat.* - - - *ne tamen per omnia*

*) Sueton. in Aug. cap. 21. *Indos etiam ac Scythas pellexit ad amicitiam ſuam vltro per legatos petendam.*

**) Iuſtinus lib. 42. cap. 5. Idem Dio Caſſius lib. 51. refert.

omnia nihil a CAESARE *obtentum videretur,* PHRAHATI *filium ſine pretio remiſit. - - - - Sed et filii nepoteſque* PHRAHATIS *obſides Auguſto dati.* Ac quid multis opus eſt, cum ſubſcripta verba IMP. XIII. ſatis innuant, nummum anno vrbis conditae DCCXLVI. cuſum fuiſſe, quo lex Iulia de maritandis ordinibus nondum vlla erat.



MONVMENTVM XXX.

Vlpiani adhuc superstes imago.

Patavini, ne solo LIVIO gloriari viderentur, etiam IVLIO PAVLO iuris consulto ciuitatem dederunt. Vetus quippe pictura, *) siue vt CATELLIANVS COTTA scribit, **) statua eius imaginem publice exhibet in foribus Palatii Patauini, cui subscriptum est: PAVLVS PATAVINVS IVRISCONSVLTOR. CLAR. HVIVS CIVITATIS DECVS AETERNVM ALEXANDRI MAMMEAE TEMPORIBVS FLORVIT AD PRAETVRAM PRAEFECTVRAM CONSVLATVM

*) Eberlin. de origine Iur. pag. 508.


**) Cotta Recens. Interpretr. adiecta Pancirolo de claris LL. interprett. edit. Hofman.

ad pag. 90.



XXX.





LATVMQVE EVECTVS CVIVS SAPIENTIAM TANTI FECIT IVSTINIANVS IMPERATOR VT NVLLA IVRIS CIVILIS PARTICVLA HVIVS LEGIBVS NON DECORETVR QVI SPLENDORE FAMAE IMMORTALITATIS OCVLIS POSTERITATIS ADMIRAND. INSIG. IMAGINE HIC MERITO DECORATVR. Hoc elogium, licet recentiorem ſtilum palam prodat, tamen PAVLVM Patauinum creditum fuiſſe, ſatis abunde teſtatur atque FORSTERO, RIVALLIO, BERTACHINO, COTTAE, EBERLINO, HENELIO aliisque occaſionem praebuit, vt compopularem LIVII facerent. Lubenter ego hanc, ſiue fictam ſiue veram, PAVLI ſtatuam imaginemve Patauinam exhibiturus eram, ſi in TOMASINI, aliorumque ſcriptis, quae de hac vrbe mihi nota erant, vllibi inuenire potuiſſem, in quibus illam, ſed fruſtra quaeſiuimus. PAVLVM itaque nondum vidi, ſed in indaganda VLPIANI effigie fortuna faventior. Nam cum hanc quoque ſuperſtitem eſſe, ſaepius legiſſem, mira ſane et incredibili laetitia affectus ſum, cum forte in THEVETII Hiſtoria illuſtrium et erudito-

rum

rum hominum gallice scripta *) praesens monumentum reperirem. Vnde hos vultus habeat, non refert ille quidem, attamen generatim in Praefatione operis: se in itineribus suis, per Graeciam aliasque remotissimas regiones susceptis, multas imagines et statuas virorum illustrium delineasse, scribit. Suspecta vero reddere THEVETII tantum non omnia summo opere THVANVS conatur, qui paulo impetuosius ita de eo scribit: *Miseret me hodie multorum, qui cum in litteris non multum videant, agyrtae tamen illius, fucos non solum non peruideant, sed eius nomen cottidie in libris suis honorifice appellent; mirarique saepius subiit, qui fieri potuerit, vt homo cui tam facile imponeretur, tanti nominis viris tam turpiter imponat, quos ideo nunc monitos cupio, vt in posterum insciti et inepti nebulonis nomine ac testimonio, praeclara scripta sua contaminare desinant.* Alii contra insertas operi picturas ob exactitudinem maximo-

*) Thevet Histoire de plus illustres et sauants hommes des leur siecles, tant de l'Europe que de l'Asie, Afrique et Amerique, avec leur Portraits en Tailles-douces, tirez sur les veritables originaux. Paris 1584. fol.

maximopere laudarunt et commendarunt. Vnde ego non ſtatim ſummi caeteroquin viri deterreor THVANI auctoritate, ſed hanc notabilem VLPIANI effigiem Numero XXX. ſignatam, qualiscunque demum illa videatur, notiorem facio, motus in primis PLINII *) verbis: *Etiam mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor. Non eſt praetereundum nouitium inuentum: Si quidem non ſolum ex auro argentoue, aut certe ex aere, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae ibi loquuntur. Quin imo, etiam quae non ſunt, ſinguntur; pariuntque deſideria non traditi vultus.*



MONV-

*) Plinius Hiſt. Nat. lib. 35. cap. 2.

MONVMENTVM XXXI.

De Abigeis.

ABIGEI habentur, qui, vt titulus de iis in Digeſtis docet, pecora e paſcuis armentisve ſubtrahentes, hoc furti genus quaſi artem exercent. Celeberrimus omnium, quos fabulae hiſtoriaeque produnt, CACVS, cuius vaferrimum abigeatum gemma vetus notat, verſibus autem exprimit hiſce VIRGILIVS: *)

ALCIDES aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes: vallemque boues amnemque tenebant.
At furiis CACI mens effera, ne quid inauſum
Aut intentatum ſcelerisue doliue fuiſſet,
Quattuor e ſtabulis praeſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante iuvencas.
Atque has, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſisque viarum
Indiciis

*) Virgil. Aeneid. lib. 8. v. 203.

ad pag. 94.



XXXI.



Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quaerentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant;
Interea, cum iam ſtabulis ſaturata moueret
AMPHITRYONIADES *armenta, abitumque pararet,*
Diſceſſu mugire boues, atque omne querelis
Impleri nemus et colles clamore relinqui.
Reddidit vna boum vocem; vaſtoque ſub antro
Mugiit, et CACI *ſpes cuſtodita feſellit.*

MONV-



MON. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. ET XXXVI.

Iterum de Archiepiſcopali Pallio.

Adeo incerta ſunt omnia, quae de pallii, quo ſe praeſules chriſtiani exornant, origine circumferuntur, vt interdum, quae ex variis doctorum hominum ſententiis praeferenda ſit, haereamus. Licet enim ſupra *) me contra eos, qui regium illud imperatoriumve ornamentum fuiſſe perhibent, diſputaſſe probe meminerim, atque veroſimile videatur, pallium nunquam integram et veram veſtem, ſed ſemper fimbriam fuiſſe laneam ſeu ornatum ex loris, tamen poſteaquam ex vetuſtis monumentis demonſtra-

*) Monument. 5.

ad pag. 96.



XXXIII.



XXXIV.



XXXV.



XXXVI.



monſtrauimus, virgam illam incuruam, quá epiſcopi ſuperbiunt, non lituum auguralem, ſed baculum referre paſtoralem ad comprehendendas oves ſeu capreas vtilem; coepi ſubodorari, etiam pallium archiepiſcopi paſtoritium eſſe, cum hoc quoque inſigne, pariter vt illud pedum, ab oratione Chriſti *) qui Petro dixit: *Paſce oves meas*, facile duci ac deriuari potuerit. Venerunt autem haec in mentem mihi, gemmas ex vetuſtate ſuperſtites diligentius contemplanti, in quibus paſtores plerumque cilicio induti ſeu pallio. Tres in prima gemma apparent, eclogam VIRGILII, neſcio quam, aut THEOCRITI quoddam Idyllium, referente. Memorabilior, quae ſequitur gemma, in qua hoc pallium loricatum apparet, ac, fere eccleſiaſticum in morem, ſuper humeris dependet. Tertia gemma, quam ex GORLAEO depromſimus, paſtorem caprimulgum ſiſtit palliatum. Anne forte tu aliquam, licet leuem, inter paſtoralia haec cilicia et praeſulum ornamenta humeralia ſimilitudinem animaduertis? Si negas, rogo monu-

*) Evangel. Iohannis c. 21. v. 15. 16. 17.



monumentum XXXV. vt contempleris attentius, ex eadem GORLAEI Dactyliotheca depromtum, in quo variis ex loris consutum capri custodis pallium non multum ab archiepiscopali diversum. Post gemmas nummum Megaraeensium ex GOLZIO sub numero XXXVI. posuimus, in quo pastor ouem mulget palliatus.

MONV-

MONVMENTVM XXXVII.

Graduum computatio Germanica.

Hominum cognationes, quae in familiam et gentem diffluunt, earumque ſchemata cum Romani ſub graduum et ſcalarum forma depingere conſueuerint, Bononienſis doctor IOHANNES ANDREAE, primus fere, quaſi arborem videtur adumbraſſe. Rotae figuram exhibet ISIDORVS. Diuerſa ab his Germanorum conſuetudo, qui in humano corpore demonſtrarunt, quo gradu vna familiae perſona alteri conſanguinitate ſit coniuncta. Sedes huius rei in libro primo eiusque articulo tertio Speculi Saxonici, quem locum paraphraſtice ſic in latinam linguam transferre liceat: *Iam illud etiam obſeruabimus, vbi cognatio incboet, et vbi finiatur? In capite eſt viro et vxori deſignata ſedes, qui matrimonio, eoque aequali, ſociati ſunt. In colli geniculo liberi, qui ex eodem, tam*

 patre

patre quam matre, nati ſunt. (*Aſt fratres vnilaterales vno in geniculo conſiſtere nequeunt, ſed ad aliud progrediuntur geniculum*) - - - *Germanorum fratrum ſororumque liberi illo in geniculo collocantur, quod brachium iungit humero. Hi, quamquam ſecundum geniculum occupent, tamen* PRIMVM ORDINEM *cognatorum conſtituunt, quos* Magen *appellamus; fratrum nempe ſororumque liberi.*

In cubito ſtat ordo SECVNDVS; *in articulo, qui iungit manum et brachium,* TERTIVS. *In primo geniculo digiti medii, vbi de manu exeritur* QVARTVS; *in ſecundo articulo* QVINTVS, *in tertio* SEXTVS. *In ſeptimo vides unguem et nullum geniculum, hinc illic finitur cognatio, dicunturque illum attingentes* Nagel-Magen. *Qui intra unguem et caput h. e. intra octavum gradum, ſe aequaliter ad ſtipitem referre poſſunt, capiunt hereditatem aequaliter; qui autem propius ſe ad ſtipitem conferre poteſt, in hereditate capienda potior eſt.*

Cognatio finitur in ſeptimo, ſi de hereditate capienda agitur, etiamſi Pontifex cognationem arctioribus limitibus incluſerit, et in quinto gradu matrimonium permiſerit; quandoquidem Pontifex

nullum

ad pag

Maritus Uxor

Fratres Sorores q3 Germani

Nepotes

Neptes

1. Sip Zahl.

Pronepotes

2. Sip Zahl.

Pronepotes

3. Sip Zahl.

Abnepotes

Abneptes

Atnepotes

4. Sip Zahl.

Atneptes

Trinepotes

5. Sip Zahl.

Trineptes

6. Sip Zahl.

Quadrinepotes

Quadrineptes

Nagel Freunde

XXXVII.

nullum ius ſtatuere poteſt, quo ius prouinciale noſtrum aut feodale diminuat.

Haec omnia preſſius atque ſubtilius expoſita in noſtris *Oblectamenti. iuris Feodalis*, eo quidem loco, quo Canonicam graduum computationem non inueniſſe Romanos pontifices, ſed Gothos et Longobardos, vt alias leges et conſuetudines patrias, ſecum in Italiam tuliſſe, a quibus demum pontifices eam didicerint, oſtendimus, quo lectorem huius rei cupidum ablegamus. In praeſenti enim tantum depingere placet, quae in Speculo Saxonico deſcripta ſunt. Hanc nempe ſpeciem probe teneas nos nequaquam in vetuſto marmore aut membrana inueniſſe expreſſam, ſed ad doctrinam ſuperius laudatam ipſos adumbraſſe. Homo noſter lancem et fuſum tenet, ad ſignificandum, in dextro latere agnatos, ad laeuam cognatos ponere conſueuiſſe veteres. Nempe ad legem quandam Angliorum *) alluſimus, in qua ſcriptum eſt: ſi nullus ſuperſit in familia maſculus, tunc demum hereditatem *a lancea ad fuſum*

*) LL. Anglior. et Werinor. tit. 6. §. 8.

fusum transire. Si quis tamen, quia ad dextram collocati nostra in lingua *Schwert-Magen*, in altera vero *Spindel-Magen* appellantur, sublata lancea, gladium substituere velit, non repugnauerim. Ecce autem quam facilis sit Germanorum simplicitas, quamque ingenio Romanos hac parte superent, cum maximam sane commoditatem habeat, corpore et brachiis pro tabula vti, in qua, siue domi quis fuerit, siue foris, cognationes amplissimas suo animo informare possit, neque tamen cera, charta, tabula, aut etiam creta opus habeat vlla.

MONV-

MON. XXXVIII. ET XXXIX.

Leges Tabellariae Licinia et Caſſia, atque obiter quaedam de Lege Licinia Sumtuaria.


Vix puto in re tam vulgari, quae in monumentis picta propoſitis eſt, quemquam a me expectaturum eſſe, vt, quemadmodum Romani ciues in comitiis ſuffragia laturi viritim ſuper ponticulis ouile anguſtius, quo tribunal magiſtratus eius, qui comitiis praeerat, includebatur, *) ouile, inquam, a caeteris ſeptis ſiue ouilibus, quae ſingulas populi centurias continebant, diuerſum ingreſſi ſint? latius exponam, nec enim pueris ſcribo; aut deſideraturum, vt ex PITISCI, HEINECCII aliorumque


*) Gruchius de Comitiis Rom. lib. I, cap. 4.

rumque elementariis libellis, quomodo in vrnam pilo siue columellae impositam tabellas a diribitoribus acceptas coniecerint, repetam; tabellas inquam, quibus si publica iudicia haberentur, *A.* hoc est: *absoluo*, aut *L. libero*; alteri vero tristiori tabulae *C. condemno* aut *D. damno*, inscribebatur. Vbi autem magistratuum creandorum causa comitia haberentur nomina candidatorum: sin vero lex ferenda esset, per siglas *Antiqua Probo* et *Vti Rogas* tabella loquebatur. His peractis, notissimum est, diremtionem secutam, cum nempe tabellae ex cista ducerentur et suffragia punctis notata connumerarentur. Tabellam autem in iudiciis publicis primum Lex Cassia populo dedit, anno vrbis conditae DCXVI. siue vt PATINVS vult anno DCLIII. unde mirum non est, si L. CASSIVS LONGINVS hanc vindicem tacitae libertatis in nummo expresserit atque tabellae, aurae popularis captandae gratia, litteram laetiorem *A* potius, quam alteram abominabilem *C* inscripserit. Auersa VESTAM, cuius pollutum templum a CASSIO, nescio quo, quondam purgatum est, *) exhibet,

*) Asconius in Miloniana.

ad pag 104.





exhibet, cum ignis perpetui lampade; quam mitto et ad alterum gentis Liciniae denarium, in quo potiſſimum cancellorum ſepta curioſos antiquitatum oculos alliciunt, animum conuerto. Plures eiusdem argumenti, et licet formae pauliſper diuerſae, ſimiles tamen huic, (qui CHRISTII quondam ſuppellex et a IOHANNE LVDOVICO CONRADI publicatus eſt) ſaepius occurrunt. Melior etiam et elegantior ille apud VAILLANTEM, *) quem, cum ex negligentia ſcalptor hisce iungere omiſerit, inferius afferam. Cur autem P. LICINIVS NERVA legum ferendarum aut habendorum judiciorum ritum expreſſerit, docti homines ſe profitentur ignorare, cum praeter Gabiniam, Caſſiam, Papiriam, Coeliam et Mariam tabellarias leges vllas fuiſſe, negent. Etiamſi vero non ad Liciniam gentem, ſed ad Siliam nummum referamus, vt VRSINVS et ille, quem dixi, VAILLANTIVS fecere; neque tamen Lex Silia de ſuffragiis cuiquam cognita, quam denarius repraeſentare poſſit. Itaque aliam viam

*) Vaillant. Numi Famil. Tom. 2. tab. 131.

viam ingressus FRANCISCVS CAROLVS CONRADI, *) generatim legem aliquam ab huius NERVAE maioribus perlatam, non sigillatim et praecise tabellariam, sed sumtuariam potius, quae inter omnes celeberrima sit, P. LICINII CRASSI significari arbitratur. Credulum autem lectorem esse oporteat, qui sibi haec imponi patiatur. Anne Licinia haec sumtuaria lex tam grata plebi et accepta fuit, vt ea NERVA gloriari possit? Quid? ne diuturna illa quidem, sed non multo post abolita. Deinde, quid quaeso comitiorum apparatus? quid tabellae? vrna? diribitor? quid septa denique ad sumtum coercendum faciunt? Rectius ergo nos de Lege Licinia Iunia, quae de *legibus promulgandis* **) Anno vrbis conditae DCXCI. perlata est, aut de alia quadam lege Licinia, quae plebiscitum fuit ***) et *de legum latoribus*

*) Conradi Parerga lib. 3. p. 310.

**) Cicero Phil. V. 3. Vatin. c. 14. ad Attic. IV. 16. pro Sextio 64.

***) Cicero pro domo cap. 20. Orat. secunda Agrar. contra Rullum c. 8.

latoribus obſoleta quaedam Legis Aebutiae capita reuocauit, interpretabimur, ita tamen, vt nunc quidem eo brevioribus eſſe liceat, quo aptior erit de comitiis et publicis iudiciis diſſerendi oportunitas alio loco, quo monumenta huius rei plura in medium proferemus.

MONV-



MONVM. XL. XLI. XLII.

Ad Capit. vndecimum X. de rescript.

LVCIVS tertius Pontifex Maximus, in laudato Decretalium capitulo, ita cuidam rescripsit: *Ad audientiam nostram, te significante, peruenit, quod H. de sancto Stephano super absolutione sua litteras tibi, vt prima facie videbatur, Apostolicas praesentauit, quibus, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* Huic decretali epistolae in plerisque editionibus illud IOHANNIS ANDREAE, aut, qui fere iisdem verbis vsus est, Abbatis Panormitani NICOLAI TVDISCI praescriptum est: *Falsa latinitas vitiat rescriptum Papae.* Itane vero, diue LVCI! hoc rescripto tuo omne ius pontificium abrogasti? Nam quid quaeso valiturum sit, cum in hoc vniuerso corpore, vt SCIPIO GENTILIS ait, soloecismis omnia scateant? Salua

tamen

ad pag. 108.

XL.



XLI.



XLII.





tamen res eſt. Si enim LVCI vetas, fidem adhiberi pontificum reſcriptis parum latinis, de tuo potius capitulo, quam de iure canonico, actum eſt. Ais nempe: *Ad audientiam noſtram peruenit, quod H. litteras praeſentauit.* O quantum in hiſce, vt ipſius capituli verbis vtar, conſtructionis peccatum, cum ſcribi debuiſſet: ad noſtram audientiam peruenit, H. litteras praeſentaſſe. Deinde hoc: *quod litteras, vt prima facie videbatur, Apoſtolicas praeſentauit*, aeque vitioſum, cum non videbatur, ſed *videbantur* grammatices regulae exigant. Neſcio vero, quo nomine hoc inexplicabile deſignare debeamus, ſi lex, quae conſtitutionibus et legibus, in quibus falſa atque ſuſpecta latinitas, morem geri vetat, ipſa vitioſe et contra PRISCIANI regulas ſcripta ſit? Ex perplexis haec quaeſtio et exemplum eiusmodi, quo FREHERI *Deciſionum Areopagiticarum Sylva* mirifice exornari poſſit, cum, quicquid conſtituerimus verum eſſe, falſum reperiatur, quae AFRICANI in cauſa ſimili verba ſunt. *L.* 88. *ff. ad. L. Falcid.* Ni fallor Antiſtrephuſam rhetores appellant, cum quis ad defenſionem non ſuis, ſed aduerſarii argumentis et verbis vtitur.

Itaque

Itaque non aufim ob grammaticale peccatum legem aut refcriptum improbare, ne totum ius pontificium fubuertatur, neque omnino Panormitano Abbati fubfcribere, qui, vt rationem propofiti capituli afferat, negat fieri poffe, vt pontificis refcriptum minus latinum fit, his quidem verbis: *quia per multas tranfit manus et cum magna maturitate decoquitur.* Vtut vero magnum fit in legibus nouis atque refcriptis ftudium, multo tamen attentior effe folet in publico numismate prouidentia et magis circumfpecta captio, vbi omnia timide multorum oculis et manibus prius explorantur, quam in publicum prodeant. Nihilo minus tamen accuratiffimae diligentiae fubterfugiunt interdum et elabuntur turpia quaedam, quae deinde animaduerfa et artifici et ipfi principi ruborem excutiunt. Tametfi vero grammaticalia peccata, plumbeas falfariorum monetas in primis fufpectas reddant; tamen negari non poteft, etiam probos nummos obuenire nefandis erroribus infignes. Sic in primo eorum, quos appofuimus, IOHANNES FRIDERICVS Archiepifcopus Bremenfis, et Epifcopus Lubecenfis, ex Ducibus Holfatiae, in auerfa HERRES

pro

pro *heres* posuit; in altero SIGISMVNDI BATHORI principis Transiluaniae; PRINCHRS positum, pro *Princeps*; in tertio denique GEORGII GVILELMI Electoris Brandenburgici nummo, verbum Dux, ridicule ƆVTX, quis non stupeat? Poteramus plura huius rei exempla ex IOH. CHRISTIANI KVNDMANNI Nummis Singularibus adducere, qui etiam FRIDERICI Daniae regis argenteum profert, cum inscriptione MONETA AVREA: et e contrario aureos solidos, quibus inscriptum est: MONETA ARGENTEA. Sunt etiam nummi post principum quorundam, quasi adhuc viuerent, mortem cusi. *) Vbi ergo HARDVINE tua fides! qui, subuersa omnium librorum auctoritate et infirmatis historiae monumentis, solos nummos vera docere, stolide magis quam ingeniose persuasurus, aurem, ne vnam quidem, inuenisti satis credulam, nec vllo tempore inuenies.

MONV-

*) Sammlung rarer und merkwürdiger Gold und Silber-Münzen, Lipsiae 1751. 4. erste Fortsetzung pag. 77. Kundmann Sonderbare Thaler p. 17.

MONVMENTVM XLIII.

Picturae ignominiosae, quae imperium Germanicum Pontificis beneficium esse, mentiebantur.

Non solum dici et scribi solent iniuriae, verum etiam pingi. Imo sculptarum a statuariis iniuriarum leges *) mentionem faciunt. Vtrum autem quae pinguntur, realibus annumerandae sint iniuriis, an verbalibus? subtilius iam non disputo, cum, quamcunque elegeris, illa defendi possit, sententia. Etenim, vt AVCTOR AD HERENNIVM libro quarto ait, imagines non minus, quam litterae loquuntur, et pictura quasi tacitum poema est. In epistola

*) Lex Imperii seu Ordinatio Politiae anno 1577. perlata §. 3.

Tytulus de ctoz discordantium
ꝯcordia ac primum de Jure constitutionis z nature

Rex [illegible] ego sum regū. lex ē mea [illegible] maxima legum
Te facio Regem tu rectam dilige legem

V
Φ
A
N
V
G
E
N

Duob; regitur naturali uidelicet Jure z moribus



epiſtola epiſcoporum Germaniae ad HADRIANVM IV. Pontificem Maximum **) epiſcopi Germaniae grauiter conqueruntur, quod is in ſcriptis iactauerit, ſe FRIDERICO I. imperium Germanicum, quaſi beneficium, clientelari iure contuliſſe, ibique diſſerte ignominioſam picturam memorant, quae in detrimentum libertatis Germanicae verti poſſit, ita vero in illa epiſtola epiſcopi: *A pictura coepit, ad ſcripturam pictura proceſſit. Scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non ſuſtinebimus! Coronam anteponemus, quum imperii coronam vna nobiſcum ſic deponi conſentiamus. Picturae deleantur, ſcripturae retractentur, vt inter Regnum et ſacerdotium aeterna inimicitiarum monumenta non remaneant.* His cognitis, coepi ego circumſpicere, anne forſitan illa pictura, quam aboleri rogant Germaniae epiſcopi, adhuc perennaret? Ac primo illa, quae Venetiis conſpicitur, in mentem veniebat tabula, in qua ALEXANDER III. pontifex pedibus FRIDERICVM conculcat. At vero

*) Senkenberg Corp. Iur. Feod. p. 528.

vero eam centum et pluribus annis poſtea demum factam eſſe, ipſe fatetur BARONIVS; deinde etiam HADRIANVS, ad quem Germaniae epiſcopi epiſtolam ſcripſerunt, prius ſedit quam ALEXANDER, qui Caeſarem calcaſſe dicitur. Cum igitur de hac pictura Germanorum epiſtolam accipiendam non eſſe facile intelligerem, aliamque quaererem, praeſens monumentum in manus venit, quod in fronte *Decretorum* GRATIANI manuſcriptorum, in vetuſto Bibliothecae regiae Berolinenſis Codice membranaceo, conſpicitur, vbi ſuperius pontifex inferius imperator, quem ille ſic alloquitur:

Rex ego ſum regum, lex eſt mea maxuma legum.
Te facio regem, tu rectam dilige legem.

Littera autem H. initialis eſt primi Decretorum canonis, qui litteris ad latus poſitis, ita incipit: *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet Iure et moribus.* Verum cum hic codex demum ſeculo XIII. ſcriptus videatur, neque hanc picturam praeſentire potuerunt Germani ſub FRIDERICO I. conquerentes. Tandem cum RADEVICVM conſulerem ex huius capite

pite decimo libri primi de Gestis Friderici, qualis pictura illa fuerit, certior factus sum. Ita nempe RADEVICVS: *Talibus litteris* (pontificis) *lectis, et per Reinaldum cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna principes, qui aderant, indignatione commoti sunt, quia tota litterarum continentia non parum acredinis habere, et occasionem futuri mali iamiam fronte sua proferre videbatur. Praecipue tamen vniuersos accenderat, quod in praemissis litteris inter caetera dictum fuisse acceperant: dignitatis et honoris plenitudinem sibi a Romano pontifice collatam, et insigne imperialis coronae de manu eius imperatorem suscepisse. Nec ipsum poenitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habita consideratione, quanta ecclesiae Romanae per ipsum possent incrementa et commoda peruenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem ac praefatae interpretationis fidem auditores induxerat, quod a non nullis Romanorum temere affirmari nouerant, imperium vrbis et regnum Italicum donatione pontificum reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed et scriptis atque* PICTVRIS *repraesentare et ad posteros transmittere. Vnde*

de imperatore LOTHARIO *in palatio Lateranensi super huiusmodi pictura scriptum est:*

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Post homo fit Papae, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque subscriptio principi, quando alio anno circa vrbem fuerat, per fideles imperii delata cum vehementer displicuisset, amica prius invectione procedente; laudamentum a Papa ADRIANO *accepisse memoratur, vt et scriptura, pariter atque pictura talis, de medio tolleretur; ne tam vana res summis orbe viris litigandi et discordandi praebere posset materiam.* Haec RADEVICVS. Sed; et GÜNTHERVM LIGVRINVM *) de re eadem audire placet:

Reddita magnifico super hac re pagina regi,
Plurima vana quidem, sed et hoc monuisse putatur.
Vt memor impensi tanti sibi Caesar honoris
Esset, et acceptae, Papa donante, coronae:
Nunquam Pontificem collati muneris alto
Poenituisse viro, nec si maiora dedisset
Praemia, tristitiae posthac onerive futurum.
Haec ideo princeps non contemnenda, nec absque
Pondere

*) Günther Ligurin. lib. 6. v. 271.

Pondere, ſuſpectis credebat tradita chartis,
Quod prius Auſoniis dum verſaretur in oris,
Audierat Latiae diffuſum plebis in ora,
Et vulgo dici ſolitum; contingere nulli
Regna Latina viro, niſi cui Romanus amica
Traderet illa manu, Petri ſub nomine, praeſul.
Hoc quoque Romanae praeſtans in ſedibus aulae
Vana loquebatur, qua voce licebat IMAGO.
Hic a Romano mendax antiſtite pictor
Fecerat imperii ſumentem iura LVTHERVM,
Stare genu flexo, nec non epigrammata vanus
Deſuper addiderat, ſimulatis conſona rebus.
Hanc ADRIANVS *ei, ne verae ſemina cladis*
Res ſimulata daret, penitus delere figuram
Pactus erat: ſed adhuc minimi promiſſa laboris
Diſtulerat, fomesque mali vivebat IMAGO.
Ergo vbi magnificis acceſſit epiſtola verbis,
Admonuitque virum: ſatis indignatus ab illo
Imperium princeps ſe ſuſcepiſſe negauit.
Cumque refragari legati, et dicere contra
Tentarent, et falſa ſua pro parte mouerent,
Infremuere Duces.

MONVMENTVM XLIV.

Ad L. 1. §. 10 ff. de inspiciendo ventre et custodiendo partu.

Ait praetor: *Mulier ante dies triginta, quam parituram se putet, denuntiet iis, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, vt mittant, si velint, qui ventrem custodiant. In quo conclaui mulier paritura erit, ibi ne plures aditus sint, quam vnus; si erunt, ex vtraque parte tabulis praefigantur. Ante ostium eius conclauis liberi tres et tres liberae, cum binis comitibus custodiant. Quotiescunque ea mulier in id conclaue aliudve quod, siue in balneum ibit, custodes, si volent, id ante perspiciant et eos, qui introierint, excutiant. Mulier, cum parturire incipit, iis, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum denunciet, vt mittant, quibus praesentibus pariat. Mittantur mulieres liberae duntaxat*


ad p. 118.
XLIV.



duntaxat quinque : ita, vt praeter obſtetrices duas, in eo conclaui ne plures mulieres liberae ſint, quam decem; ancillae, quam ſex; eaeque, quae intus futurae erunt, excutiantur omnes in eo conclaui, ne qua praegnans ſit. Tria lumina nec minus ibi ſint, ſcilicet quia tenebrae ad ſubiiciendum aptiores ſunt. Quod natum erit, iis, ad quos ea res pertinet, procuratoribusue eorum, ſi inſpicere volent, oſtendatur. Haec ſolennia, cum reginae parturiunt, adhuc hodie in Gallia, Anglia, aliisque quibusdam hereditariis regnis obſeruari, notum eſt, atque etiam medio aeuo obtinuiſſe, natiuitas FRIDERICI imperatoris, qui huius nominis ſecundus fuit, documento eſt. Nempe HENRICVS VI. anno MCLXXXVI. regis Siciliae filiam atque Neapolitani regni, Apuliae, Calabriae et Siciliae heredem, CONSTANTIAM, vxorem duxerat, quae quinquaginta annorum vetula, praeter omnem ſpem atque opinionem hominum, grauida eſſe coepit. Siculi exiſtimantes illa iamdudum ſecula praeteriiſſe, in quibus SARAE pariant, hoc miraculo obſtupeſcere et fraudes vereri. Itaque, vt ſuſpicionem a ſe removeret atque ſiniſtras cogitationes dilueret, in quodam Anco-

nitanae prouinciae oppido imperatoris vxor mirabili apparatu, exſtructo ſcilicet in foro atque ſub dio, vt ab omni populo ſpectaretur, tabernaculo, intra matronarum principum coronam, VII. Calend. Ianuarii Anno MCXCIII. hunc FRIDERICVM peperit. In huius rei memoriam numiſma, quod nuperrime in agro Norimbergenſi, inter caetera, repertum eſt, ab imperatore marito cuſum eſſe, parochi eruditi WVRFELII *) leuis quidem, ſed, quousque nemo meliora doceat, non penitus negligenda coniectura eſt, qui in antica parte HENRICI VI. vultum, in auerſa autem matrem CONSTANTIAM et enixum puerulum, cui imperator cum ſceptro adſideat, ſibi animadvertiſſe viſus eſt. Miror chriſtiano ſacerdoti, matrem dei pueri non veniſſe in mentem citius, quam vetulam HENRICI vxorem.

MONV-

*) Beſchreibung derer Bracteaten und Dik-Pfennige, welche in Offenhauſen ausgegraben worden, von Andreas Würfel, Pfarrern in Offenhauſen. Altorf, 1761.

MONVMENTVM XLV.

Regnum Italiae ſub Ottone Magno junctum Imperio Germanico.

Non numisma damus, ſed bullam plumbeam, OTTONIS I. Imperatoris, quae ex membrana donationis pendet, anno mileſimo factae. Hanc IOHANNES GEORGIVS AB ECKHART *) accuratiſſime ex archetypo delineavit, quam ob cauſam hunc maluimus quam MABILLONIVM ſequi, qui eandem quidem, neque tamen tanta ſollicitudine, bullam exhibuit. **) OTTO imperator HENRICI filius in vtraque pagina. Laurum gerit et ſuper eam

*) Eckhart Gründliche Nachricht von der alten Salz.-Burg Lipſ. 1751. 4.

**) Mabillon Rei Diplom. lib. 2. cap. 16. et in Supplemento cap. 8. p. 48.



eam diadema, quatuor liliis ornatum, vt illa Romanus imperator, hoc rex Germaniae designetur. Aversa, vt ex vultus similitudine apparet, eundem habet Caesarem, thorace indutum. Hastam, in cuius flammula lilium, parmamque manu tenet. Inscriptio memorabilis: RENOVATIO IMPERII ROMANORVM, cum sacrosancta cruce. Estne vero quispiam, qui OTTONEM Imperatorem cum anno DCCCCLXVIII. ADELBERTVM, minoris filium BERENGARII, bello superasset, Italiam Germaniae regno sociasse, ignoret? Recte igitur STRVVIVS initia Iuris publici Romanorum Germanici non, vt alii, a CAROLO Magno aut Crasso: neque, vt HEINECCIVS, a LVDOVICO Germanico; neque, vt LVDEVIGIVS, a CONRADO Salico, sed ab hoc OTTONE repetenda existimauit. Renouati sub hoc Germanico rege Romanorum imperii etiam in iure pontificio GRATIANVS mentionem fecit: *can.* 23. *dist.* 63, Quis ergo, his clarissimis documentis perspectis, GOTLIEBII STVRMII, quam in singulari disputatione Vitebergae habita propagare studuit, opinionem probet: non OTTONEM Magnum,

ad pag. 122.



XLV.





Magnum, ſed huius nominis Tertium, aeterno foedere vtrumque imperium ſociaſſe? Haec haereſis, etiamſi alia documenta deficiant, hac ſola plumbea bulla ſtatim refutatur. Cur autem lilia OTTO in diademate vexilloque gerit? Si me interroges, aut dicam CAROLVM Magnum imitari voluiſſe, aut (quoniam non ſatis expeditum eſt, hunc iis inſignibus vſum fuiſſe) Francos, reſpondebo, etiam orientales in Germania pariter, vt illi in Galliis, lilia in armis habuiſſe. Forte iis temporibus non ſemper Germanicum dicebatur, ſed titulo veteri Francicum imperium, cum et GOTFRIDVS VITERBIENSIS ſcribat: *Romanum imperium ſub Ottone ad Francos orientales reuerſum.* Caeterum haec bulla tam affabre facta, vt caetera huius aevi opera pulchritudine et elegantia facile ſuperet. Graecum eſſe oportuit, non Francum neque Latinum, qui formam ſculpſit, artificem.

MONV-

MONVMENTVM XLVI.

Duellum judiciale bestiae et hominis.

Non mea, quae seqvuntur, verba sunt, sed D. DE COLVMBARIA, in *Theatro honoris et strenuorum militum*, relata a MONTEFALCONIO, ex cuius Tomo Secundo Monumentorum Monarchiae Gallicae picturam mutuati sumus. „Iam supra, inquit, vidimus: „quomodo, cum legitimae probationes deficerent, Principes supremi, vel curiae senatus, singularia certamina inter viros ineunda permitterent, cum de prauo facinore aliquo clam admisso „ageretur; sed res admodum noua, imo stupenda, „videtur, quod bruto animali contra virum congredi permissum fuerit, et coactus vir fuerit, vt cum „bruto animali pugnaret. Mira vtique res est, quae „hodie-


NAPOLI

„hodieque depicta visitur in cortina vnius ex „caminis, amplae illius aulae castelli Montis-„Argisi. Rex enim Carolus curauit, vt ibi illa „depingeretur, quasi exemplum mirabilium „Dei iudiciorum.

„Vir quidam nobilis erat, quem dicunt qui-„dam fuisse ex Sagitariis nobilibus, qui custodiae „Regii corporis advigilabant; sed putauerim „fuisse virum nobilem regiae aulae, vel quia „aulam regiam frequentaret: nam historia latine „scripta, unde haec exsumsi, Aulicum illum „vocat, qui a quibusdam historiae scriptoribus „appellatur Eques Macarius. Hic cum videret „ex sodalibus quempiam, cui nomen ALBERI-„CVS DE MONTE DESIDERII, gratia „multum apud Regem valere, invidia motus, „insidias ipsi apparavit, et occasionem captans, „tandem illum in Silva Bondia reperit, canem „solummodo suum secum habentem, quem ca-„nem quidem historiae scriptores, et nominatim „AVDIGVERIVS dicunt fuisse vertagum: ar-„reptaque ille occasione, vt scelestae inuidiae „suae faceret satis, ipsum interfecit, et in ipsa „silva humauit, congestaque terra operuit. In-„deque abscessit; ad aulam regiam reuersus est

„nullam

„nullam mali speciem prae se ferens. Canis
„vero supra fossam humati domini sui mansit,
„donec famis rabie concitante, Lutetiam venire
„coactus est, vbi tunc Rex erat, vt panem expe-
„teret ab amicis domini sui defuncti, et statim
„reuertebatur ad locum vbi homicida ille ipsum
„deposuerat. Cum autem in eodem officio
„pergeret, quidam ex illis, qui canem euntem
„et redeuntem obseruabant, vlulantem et dolen-
„tem, clamoribusque assiduis de amisso domino
„suo cruciatum animi significantem, ipsum in
„silvam redeuntem inseqvuti sunt, illumque
„euntem obseruantes, viderunt eum in loco illo
„gradum sistere et manere, vbi terra haud ita
„pridem mota et effossa fuerat; egestaque hu-
„mo, in cadauer defuncti inciderunt, quem
„honorifica sepultura dignati sunt, neque tamen
„quis scelerati homicidii autor esset, vel con-
„iectura assequi potuerunt. Canis vero ille
„cuipiam ex cognatis defuncti domini sese de-
„didit, quem cum pro more suo sequeretur,
„forte accidit vt in homicidam incideret, quem,
„vt primum videt, in medio nobilium sagittario-
„rum, statim vehementer aggreditur, insilit in
„collum eius, nihilque non egit, vt in eum

„dentes

„dentes infigeret, ipſumque ſtrangularet, ſi vale-
„ret. Verberatur ille, pellitur, ſed redit ſem-
„per, et quia ne accedat arcetur, oblatrat ſem-
„per, et procul minas intentat, ad illum con-
„uerſus locum, quo ſe receperat homicida.
„Cum autem canis id ipſum praeſtare pergeret,
„et quoties vir ille in conſpectum veniebat, in
„ipſum inſilire tentaret, in ſuſpicionem admiſſi
„ſceleris venit homicida; canis quippe domino
„magis fidus et addictus, quam quivis ſervus
„fuiſſet, ſolum domini interfectorem impetebat,
„et vt defunctum ulciſceretur, nihil non agebat.
„Id nunciatur Regi CAROLO; aulici quidam
„principi referunt canis iſtius pertinaciam, quem
„iam nouerant pertinuiſſe ad nobilem illum vi-
„rum, qui interfectus et humatus repertus fuerat.
„Voluitque Rex canis motus et impetus ſuis
„oculis conſpicere. Iubet adduci canem, nobi-
„lemque illum, qui in ſuſpicionem venerat, in
„medio eorum, qui magno numero aderant, ſe-
„ſe occultare. Tunc canis conſueto more ho-
„micidam furens inter omnes alios aggreſſus eſt,
„et quaſi Regis praeſentia fultus, cum maiori
„violentia et rabie in illum inſiliit et vlulatu
„maximo quaſi vindictam expetere, et ſapientis
„Regis

„Regis iustitiam implorare videbatur. Et certe „impetravit optatum. Cum enim res mira et „stupenda CAROLO Regi videretur, et aliunde quaedam indicia facti suppeterent, nobilem „illum virum evocari iussit, diligenterque sciscitatus ab illo est, vt rei veritatem edisceret, cuius „argumenta erant, tum rumor ille publicus, tum „canis illius impetus et vlulatus, qui tot criminationes esse videbantur. Verum pudor et extremi supplicii metus, ita reum ad rem negandam pertinacem reddidit, vt Rex tandem iubere coactus sit, canis eiulatum, et querelam nobilisque illius viri in negando pertinaciam per „singulare certamen dirimi oportere, cuius exitu „Deus rei veritatem patefaceret. Ambo itaque „postea in campum, velut duo pugnatores inducti sunt, praesente Rege et aulicis omnibus. „Vir ille nobilis gravi baculo armatus prodiit; „canis vero non alia, quam quae natura sibi subministraverat, arma attulit; sed dolium vtrinque pertusum in campo positum fuit, vt in „ipsum canis receptum habere posset, si quando „in certamine defatigatus, respirare vellet, et „postea ad pugnam redire. Vbi primum canis „in campo constitutus est, non expectavit se „aggre-

„aggredientem; ſed, ac ſi gnarus fuiſſet, ſui officii „eſſe, vtpote pugnam petentis, certamen inire, „et hoſtem aggredi, prior irruit in illum; ſed „grauis ille baculus vel vno ictu poterat canem „mactare, quapropter ille circum hoſtem currit, „opportunum obſeruans inſiliendi momentum; „occaſionem tandem nactus, in guttur inimici „ſui ſeſe iniecit, infixisque dentibus tam forti- „ter apprehendit, vt in terram decideret. Tunc „ille regis miſericordiam implorat, rogatque „amoueri canem, ſe omnia declaraturum eſſe „pollicens. Tum, qui ad hoc deputati erant, „canem amouerunt. Iudices autem, iubente „Rege, accedunt. Vir ille nobilis, praeſentibus „omnibus fatetur: ſe ſocium ſuum occidiſſe; id- „que nemine praeſente, ſed aſtante ſolum cane, „a quo ſe nunc victum fatebatur. In hiſtoria „narratur illum dediſſe poenas; ſed non dicitur „quo mortis genere plexus fuerit? Si canis ille „tempore veterum Graecorum vixiſſet, Athenae „cum florerent, publico deinde cibo paſtus fuiſ- „ſet, cadauerque ipſius potiori iure ſepultum „fuiſſet, quam corpus canis XANTIPPI.„

MONVMENTVM XLVII. XLVIII. XLIX.


Callida, sed malitiosa, pacti interpretatio.

Ait PAVLVS: *) *Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: In fraudem vero, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit.* Eadem imperatorum THEODOSII et VALENTINIANI sententia: **) *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Hanc callidam, sed malitiosam, iuris pactorumve interpretationem vocat CICERO. Pactis quippe, atque foederibus etiam, talis verborum fraus interdum adhibita. Thraces quondam, cum triginta dierum pacti essent indu-

*) L. 29. ff. de legibus.

**) L. 5. C. de legibus.

ad pag. 130.





XLIX.





inducias, noctu populabantur Boeotiorum agros, quod dierum, non noctium, induciae essent promissae; et Q. FABIVS LABEO, cum regi ANTIOCHO, quem bello superaverat, dimidiam partem navium se redditurum esse promisisset, omnes medias dissecuit, ut eum tota classe priuaret. Haec tribus nummis praefari placuit, in quibus TARPEIA virgo, Sabinorum calliditate circumuenta et scutis oppressa, suae perfidiae poenam luit. Nempe in illo ROMVLI cum Sabinis bello, arcis custodiam TARPEIVS habebat. Huius filia, se castellum prodituram hostibus promisit, si horum rex TATIVS in matrimonium duceret, milites vero, quod in laeua gererent, dare vellent. Aureas nempe argenteasque armillas intelligebat. Illi vero, facta proditione, ingeniose sed fraudulenter se promisso exsoluerunt, scuta, quae in sinistra gerebant, super illam iacientes, quibus oppressa misere periit.

At Tatius, (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis,
Haec virgo officiis dos erat apta tuis. *)

Illa

*) Propertius lib. 4. eleg. 4.

Illa vero in nummis capita TITI TATII Sabinorum regis sunt. Adscriptae litterae A, PV. *Argento Publico* legendae. Nummos signauit L. TITVRIVS SABINVS. Non mirum ergo, virginis Tarpeiae imaginem in nummo expressam fuisse: *Titus*, inquit VALERIVS MAXIMVS, *) *e Sabino nomine* TITVRIO *fluxit*. Eandem ob rationem, in monumento septimo TVRPILLIANVS hoc signo vsus est, ad demonstrandam suam originem. Erat enim gens Petronia, ex qua TVRPILLIANVS, e Sabinis oriunda. Ipse autem, vt inscriptio docet, auro, argento, aere flando et feriundo triumvir fuit, sub imperio IVLII CAESARIS.

FINIS LIBRI I.

CARO-

*) Valer. Max. in libro de nominum ratione.

CAROLI FERD. HOMMELII

IVRISPRVDENTIA NVMISMATIBVS

ILLVSTRATA

NECNON

SIGILLIS GEMMIS

ALIISQVE

PICTVRIS VETVSTIS

VARIE EXORNATA.

LIBER SECVNDVS.

MONVMENTVM L.

De Aquila Imperii bicipite.

THEODORI LASCARIS, qui cum Franci et Veneti, capta anno MCCIV. Conſtantinopoli, ALEXIVM DVCAM Tyrannum abegiſſent, Imperator Graeciae a clero Nicaeae coronatus ac inter varia rerum diſcrimina, poſteaquam annos octodecim regnaſſet, anno MCCXXII. mortuus eſt, numisma vides, ob aquilam bicipitem in clypeis, ſuper quibus ſtat, memorabile. Prima area CHRISTVM laeva librum Evangeliorum tenentem nimboque inſignem exhibet, altera imperatorem, qui dextra crucem, ſiniſtra libellos, aut quod vero ſimilius, mappam complicatam gerit, ac ſimili nimbo ſe diuum viuus fecit. Circum verba ſcripta: ΘΕΟΔΩΡΟΣ ΒΑΣΗΛΕΤΣ ΚΑΙ ΑΤΤοκϱατωϱ ΡΩΜΑΙΩΝ ΛΑΣΚΑΡΙΣ. Clypeos, quibus inſiſtit cum primo adſpexiſſem, iis putabam victoriam deſignari de Latinis, cum

quibus variis proeliis conflixit, reportatam; animaduertens autem iis temporibus occidentales imperatores bicipite aquila nondum vſos eſſe, haec mihi nunc potius Graecorum et ipſius LASCARIS imperatoris inſignia videntur.

Quando autem et quare imperatores Germanici aquilam bicipitem in numismata ſua ſigillaque receperint? non vna eſt doctorum virorum ſententia. IOH. PETRVS LVDEVIGIVS, qui vbique nihil, niſi Brandenburgica videt, coniecturas de his inſignibus nouas protulit, *) a TREVERO **) et SEELANDRO ***) ſatis refutatas. Exiſtimat nempe CAROLVM IV. primum hoc inſigni vſum eſſe, poſteaquam Marcam Brandenburgicam emiſſet. Marchiones autem Brandenburgicos iam ſeculo XII. bicipitem aquilam in clypeis geſſiſſe. Falſum autem, quod

*) de Ludewig obſeruatio de Brandenburgica aquila bicipite, Imperialis auctore et origine, quae extat in Tom. 7. Reliqq. MSS. num. 6.

**) Treueri diſp. de vera aquilae bicipitis imperii R. G. origine. Helmſt. 1726.

***) Seelaender zehen Schriften von teutſchen Münzen p. 26. epiſtola quinta quae inſcribitur: Gedanken über alte Münzen mit dem zweykopfigen Adler und deſſen Urſprung.

ad pag. 136.



L.



quod de CAROLO IV. prodit. Nam vt de suppositiciis et adulterinis priorum imperatorum nummis atque sigillis nihil dicamus, certum est et plane indubitatum, iam LVDOVICVM BAVARVM binis capitibus imperii aquilam ornasse. Mittamus ergo haec somnia, et potius, quid caeteri de eius origine senserint, breuiter exponamus.

Plerique hoc insigni diuisum a CONSTANTINO MAGNO imperium denotari arbitrantur. *) Fuerunt deinde qui vnam aquilam regnum Germanicum, alteram imperium Romanum indicare, adeoque ab eo tempore, quo OTTO Magnus vtrumque regnum sociauerit et pristinam majestatem renouauerit, vna aquila Germanos non contentos fuisse crederent. **) Magnum huic opinioni accessurum pondus erat, si vera essent, quae WECKIVS in Chronico Dresdensi ***) ex sigillis sibi animaduertere visus est, nempe reges Germanicos ante expeditionem Romanam simplici, si vero Romae a pontifice dia-

*) Spener oper. Herald. Part, 2. lib. 1. §. 8.

**) Struuius Syntagm. Iur. Publ. cap. 8. §. 40.

***) Weck. Dresdn. Chronik. p. 23.



diadema accepiſſent, tunc demum duplici aquila uſos eſſe, quod neſcio tamen, an ſatis probauerit.

Noſtram denique ſi ſententiam requiras, vt multis aliis in rebus, ſic etiam hac in re Latinos imperatores imitatos fuiſſe Graecos, exiſtimauerim, cum praeſens nummus, quem CANGIO debemus, genuinus et probus luculenter probet, primum ab imperatoribus Graecis aquilae, veteri Romanorum ſigno, caput fiſſum, adeoque orientalis prius, quam occidentalis, imperii hoc ſignum fuiſſe, quod pluribus monumentis CANGIVS, in diſputatione de Inferioris aeui numismatibus, extra dubitationis aleam poſuit.



MONV-

*) Du Fresne infer. aeui numismat. num. XI. pag. 8.

MONVMENTVM LI.

De Reliquis abolitis; item de Nouis Tabulis.

Quam, vt DIO CASSIVS ſcribit, primus HADRIANVS liberalitatem exhibuit, vt *Reliqua* debitoribus fisci remitteret, eam HONORIVS quoque imitatus, cuius in codice Theodoſiano haec ſupereſt conſtitutio: *) *Omnium titulorum - - - reliqua concedimus. Atque vt ipſa memoria Reliquorum intercidat, chartas omnes - - - quibus debitorum nomina et debita continentur, vndique in medium congregatas palam flammis iubemus aboleri.* Praeter hanc, etiam aliae VALENTINIANI TERTII, MARCIANI et MAIORANI in vltimo Codicis Theodoſiani volumine extant Nouellae *de Indulgentiis Reliquorum.* Sunt autem Reliqua tributa, quorum

*) L. 3. C. Theod. de indulgentiis debitorum.

quorum iam dies venit, aerario siue fisco nondum soluta, quae et residua dixeris. *L.* 32. *L.* 81. *ff. de condit. et demonstrat. L.* 3. *C. de susceptor.* Hoc vel ex titulo Codicis Iustinianei intelligitur, qui ita habet: *Sine censu vel Reliquis fundum comparari non posse.* Reliquari autem vel reliqua trahere dicuntur, qui ex reliquis fisco obnoxii sunt. *L.* 24. *ff. ad municipal. L.* 46. *pr. ff. de administrat. et peric. tutor. L.* 44. §. 1. *ff. eod.*

His expositis ad pulcherrimum HADRIANI nummum oculos conuertamus, in quo lictor laeua fasces, dextra facem tenens in solo flammam excitat, cui HADRIANVS librum censualem, quem in manu habet, immissurus est. Verba superius scripta ita legenda: RELIQVA VETERA SESTERTIVM NOVIES MILLIES ABOLITA. Vt autem laudabilis est et gloriosa reliquorum abolitio, ita, quae turbulentis reipublicae temporibus a seditiosis tribunis propositae fuerunt, leges de nouis tabulis improbae et infames. Nam sua quidem remittere vnicuique licet; sed de aliorum bonis aliquid donare iniustum. Sunt nouae scilicet tabulae, cum nexis siue obaeratis debita per legem remittuntur, eamque ob causam mensariis rationum tabulae

LI.

ad pag. 140.





bulae extorquentur, quarum vna pagina accepta, altera expensa continebat. Nonne autem vides has de nouis tabulis leges labefactare reipublicae fundamenta, cum pecunias creditas in summa necessitate et imminente secessionis periculo condonant, et fidem publicam tollunt? Alia ergo reliquorum condonatio, alia lex de nouis tabulis, qua publice eripitur ciuibus, quod ipsis priuatim debetur.

MONV-


MONVMENTVM LII.

Lex Didia de poenis militum.

De milite irreuerente MACER iure consultus in L. 13. §. 4. ff. de re milit. ita ait: *Eum, qui centurioni castigari se volenti restiterit, veteres notauerunt: si vitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Militiam mutare est gradu pelli, vt: cum equites in pedites, hi autem in funditorum auxilia transcribuntur. Quam pulchre haec, ad primam speciem, nummo expressa! Sane BEGER, PATINVS et VAILLANTIVS, quibus eum debeo, sibi centurionem animaduertere visi sunt, qui vite in militem animaduertat, imo quidam hoc argumento vtuntur, ad comminiscendam Legem Didiam, nescio quam, de disciplina castrorum aut poenis militum. At iocularis profecto disciplina, militem quasi repercussurum etiam clypeo

se

ad pag. 142





se armare et hoc ipso tempore, quo plagas subire debet, fustem aut ensem contra centurionem tollere. Equidem ex PLINIO *) bene memini, centurionis in manu vitem fuisse, noui etiam hoc IVVENALIS:

Nodosam posthaec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra, **)

et pro centurionatu vitem poni, apud IVVENALEM: *Vitem posce libello,* ***) hoc est: pete, vt centurio fias, imo apud OVIDIVM: ****)

Dux bonus huic centum commisit vite regendos.

Neque tamen haec omnia me mouent, vt de re militari legem in hoc monumento agnoscam. Quis enim, in nudos vite animaduersum fuisse, sibi persuadeat, aut oculis adeo captus sit, vt vitem credat, quae horribile potius flagellum est. Video pugnantis, non vero plagas accipientis, statum. Quae cum ita se habeant, invitus

*) Plin. Hist. Nat. lib. XIV. c. 1.
**) Iuven. Sat. 8. v. 247.
***) Iuven. Sat. 14. v. 193.
****) Ovid. de arte am. lib. 3. v. 527.

vitus licet ego hoc monumentum dimittam et nobis euinci aegre patiar, tamen, quoniam vera gratis anteponere debemus, alia ratione interpretari audeo. Nempe, qui ſine veſte pugnat, ſervus eſt; hos enim plerumque nudos pingere ſolebant veteres. Quoniam vero DEIDIORVM aetas in ſervilis belli tempora fere incidit, quibus in Sicilia, ergaſtulis effractis, mancipia catenas excutiebant, probabilius hunc nummum ad ſeruile bellum referas. Siue enim TITVM DEIDIVM Sexti filium, ſiue TITVM DEIDIVM prioris TITI filium putes, illum, temporibus quo PERPENNA, hunc autem, quo MAN. AQVILIVS ſervos in Sicilia perdomuit, vixiſſe nouimus. **) In huius rei memoriam a DEIDIO, vt ego malim, patre, qui cum tribunus plebis eſſet, illam celeberrimam de luxu coercendo Sumtuariam legem pertulit, quam a filio cuſum numisma, atque hoc hiſtoriam non quidem Romanam, attamen celebratiſſimam apud veteres denotare, exiſtimauerim, eam ſcilicet quam Epitomator TROGI memo-

*) Annaeus Florus lib. 3. c. 19.

memoriae consecrauit: **) *Scythae tertia expeditione Asiana, cum annis octo a coniugibus et liberis abfuissent, seruili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa expectatione virorum fessae, nec iam teneri bello, sed deletos ratae, seruis ad custodiam pecorum relictis nubunt: qui reuersos cum victoria dominos, velut aduenas armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythae, mutare genus pugnae, memores non cum hostibus, sed cum seruis, praeliandum, nec armorum, sed dominorum jure vincendos: verbera in aciem, non arma adferenda: omissoque ferro virgas ac* FLAGELLA *caeteraque seruilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi, sicut praeceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera tentant, adeoque illos perculerunt, vt, quos ferro non poterant, metu verberum vincerent, fugamque, non vt hostes victi, sed vt fugitiui serui, capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt.* Ad hanc in primis historiam DIDIVM alludere,

**) Iustinus lib. 2. cap. 5.

dere, non dubitauerim. Altera nummi parte caput deae Romae exhibetur, vt adſcriptum monogramma docet. Infra denarii nota. Haec cum ſcripſiſſem et forte cum amico antiquitatum conſultiſſimo de ea re diſſeruiſſem, ille: ſe iam apud PIGHIVM appropinquantem meae interpretationi ſententiam ſibi videri legiſſe. Mihi vero vrgentibus operis et prelo currente opportunitas deerat, librum euoluere et, vtrum amicus vera dixerit? inquirere.

MONV-

MONVMENTVM LIII.

Consacramentalium jurandi ritus.

Quaerenti mihi, multumque et diu cogitanti, quid esset, cur iusiurandum maiores nostri praeter necessitatem multiplicare consueuerint, fere in mentem veniebat suspicio, diffidendum esse fabulis vetustis per manus posteritati traditis: Septentrionis gentes fraudis atque fallaciarum ignaras, nec vllos mortalium fide ante Germanos esse; parumque aberat, quin crederem vera dixisse SALVIANVM: *) *Num quid accusabilis Francorum perfidia? Si pejeret Francus, quid novi faciet, qui periurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis,* et alio loco: **) *Gothorum gens perfida, sed pudica*

*) Salvian. de Gubernat. dei. lib. 4.
**) Salvian. ibid. lib. 7.

pudica est; Franci mendaces, Iam ante hunc VELLEIVS PATERCVLVS Germanos in summa feritate versutissimos et natum mendacio genus dixit, imo in ipsis capitularibus *) regum Francorum legimus, esse inter eos, *qui periurare pro nihilo ducant, in tantum, vt pro vnius diei satietate, aut pro quolibet paruo pretio ad juramentum conduci possint.* Quid mirum igitur, si judex non quoslibet testes, sed locupletes tantum, qui essent reo statu et dignitate pares, admiserit, deinde petitori reoue ius suum iureiurando, aut suppletorio aut purgatorio, asserenti non crediderit soli, sed vt *mettertium*, interdum vero septima, duodecima, trigesima sexta, imo centesima manu juraret, ab eo exegerit. IVTHAM, vxorem imperatoris Arnulphi, adulterii accusatam, traditum est, se ab hoc crimine per sacramentum purgasse, LXXII. nobilibus cum ipsa simul iurantibus. *) Hic mos Germanorum in Italiam et

*) Capitul. Addit. 3. cap. 88. in Georgisch Corp. Iur. Germ. p. 1782.

**) Annal. Fuld. ad an. 898. apud Freher. T. I. p. 68.

LIII.

ad pag. 148.

et ipsum jus pontificium *) migrauit. *Can.* 17. *cauſ.* 2. *qu.* 5. *Can.* 2. *cauſ.* 33. *qu.* 1. *Can.* 28. *cauſ.* 27. *qu.* 2. *Cap.* 5. *et* 7. *X. de frigid. et maleſ. Cap.* 5. 8. *et* 9. *X. de purgat. can. Cap.* 13. *X. de Simon. Cap.* 10. *X. de accus.* Neque tamen iuratores illi aut ſacramentales, vti appellabantur, vera eſſe, ſed tantum: ſe vera credere iurabant ea, quae principalis dixiſſet. Frequens horum in iure Longobardorum clientelari **) mentio, et in legibus Alemannorum, quae quidem accuratiſſime his verbis rem exponunt: ***) *Iſta Sacramenta debent eſſe iurata, vt illi iuratores manus ſuas ſuper capſam ponant et ille ſolus, cui cauſa requiritur, verba tantum dicat, et ſuper omnium manus manum ſuam ponat, vt ſic illi Deus adiuvet vel illae reliquiae.* Mos apud Saxones, quem praeſens monumentum monſtrat ab illo Alemannorum paulo diuerſus. Debemus illud GRVPENIO, cuius

*) Programma noſtrum anno 1755. ſcriptum: *de jure canonico ex legibus Germanicis explicando.*

**) I. Feud. 4. §. 2. I. F. 10. I. F. 26. §. 1. I. F. 28. II. F. 33. II. F. 41.

***) LL. Aleman. tit. 6, §. 7.



cuius Codex Picturatus *) hanc tabulam asseruat. Nempe, vt nobis videtur, (paulo enim aliter ipse GRVPENIVS explicat) hic mettertium, hoc est tertia manu, iuratur. Qui capsam tenet, in qua diuorum reliquiae, ipse principalis est, duo reliqui Consacramentales. Ita enim appellabantur amici iurantis, ab ipso in sacramenti societatem adducti. Miror illum duos, hos vnum tantummodo digitum attollere. Furca stramen continens fundum, de quo iuratur, seu rem aliam in iudicium deductam videtur denotare. Iudex corona cinctus, qualem comites gestare solebant, nempe lamina rotunda, supra quam tres cuspides excurrunt. **) Quid autem illa tergo enascens et porrecta sine corpore manus? Ni fallor, hoc signo ipsum iudicium siue *Mallus* indicatur, germanice *Handgemal*, cuius signi WICHBILDVM Magdeburgense, articulo trigesimo tertio, mentionem facit, quo loco Glossator addit: *Vnd heißt darum*

*) Grupen Teutsche Alterthümer p. 60.

**) Spener Opus Herald. Part. Gener. cap. 6. p. 313. Trieri Wappen-Kunst. cap. 12. p. 195.

darum ſein HANDMAL, *das er oder ſeine Eltern mit der* HAND *da auf den heiligen geſchworen haben, und das er noch ſein* HANDZEICHEN *hab an dem Schöppenſtuel;* vnde HALTAVSIVS in Gloſſario ita definivit: *Hadgemal in jure vetere Saxonico dicitur forum cuiusque competens.*

MONVMENTVM LIV.

Numa Pompilius populo Romano leges proponit.

Tam ſcite et affabre facta DASSIERORVM, quos noſtra aetas elegantiſſimos admiratur nummorum fabros, opera, vt non dubitem vnum illorum nummum vetuſtis admiſcere. NVMAM POMPILIVM prima habet, auerſa autem gallicam ſubſcriptionem huius ſententiae: NVMA DAT LEGES ROMANIS ANNO ROMAE XXXIX. Supra eam, res ipſa formata tanto ſtudio, vt etiam Graecorum curam et diligentiam vincere videatur. Ineſt tamen vitium familiare ſculptoribus fere omnibus, meo tamen iudicio facile condonandum, vt quemadmodum et poetae ſolent, meliorem rerum faciem atque potiſſimum eam proponant, qua vulgo notiores ſunt. Quis e longinquo emi-

ad pag. 152.



LIV.



eminens capitolium in hoc regis Pompilii nummo ferat, cum TARQVINIVM SVPERBVM illud demum in monte Tarpejo perfecisse, notum sit. Tanta aedium et columnarum maiestas, si velis subtilius dijudicare, primis reipublicae exordiis parum conuenit, quibus moenia saltu superabantur et pro domibus tuguria erant.

Tunc populus pauper, tunc noua Roma fuit.
Tunc casa Martigenam capiebat parva Quirinum.
Iupiter angusta vix totus stabat in aede;
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat. *)

MONV-

*) Ovid. Fast. lib. I. v. 198.



MONVMENTVM LV. LVI. LVII.

Trium liberorum honor.

Quae lege Papia Poppaea trium liberorum parentibus data fuerunt, praemia nos dubitare non ſinunt, ſummam Romae fuiſſe liberorum raritatem, cuius mihi cauſas inueſtiganti, non vnae ſed plures apparuerunt, iunctae efficientes, quod ſingulae non valuiſſent. Terrebat potiſſimum viros et auocabat a connubio mulierum luxus, quae collum auro, margaritis crines onerabant, et tota patrimonia appendebant auribus, vt mirum non ſit, coelibatum ciues legitimo matrimonio praetuliſſe, in primis cum concubinas alere et naturales educare liberos, infamiam non haberet. Qui vero matrimonium iniiſſent, ne ſic quidem liberos tollere, ſed exponere eos ſanguinolentos, immo lenonibus vendere ſolebant. Praeterea Romanae mulieres non admodum foecundae, ſi quidem iam alii obſer-

ad pag. 134.

LV.





LVI.





LVII.





obferuarunt, gelidas fub feptentrionibus regiones calidis fertiliores effe in hominibus procreandis. An nefcis Germaniam vaginam gentium dictam, Hifpaniam vero atque Italiam hominum prouentu fteriliorem vifam? Quid? nuptae etiam, quibus parere licuiffet, puellae, ne forma quid detrimenti caperet gracilis, aut protuberans venter decus minueret, abortum procurabant, quod crimen leuiter coercitum. *L.* 4. *ff. de extraord. crimin. L.* 8. *ff. ad L. Cornel. de ficar. et venef.* Credo eas, Stoicorum placita amplexas, foetum in vtero non animal, fed cum PLVTARCHO *) plantam, *L.* 9. *ff. ad L. Falcid.* fpem animalis *L.* 2. *ff. de mort. infer.* et mulieris portionem vel viscerum, *L.* 1. §. 1. *ff. de ventre infpic.* neque ergo nefas putaffe, herbis atque venenis abigere, plangente OVIDIO: **)

Nunc vterum vitiat, quae vult formofa videri,
Raraque in hoc aeuo eft, quae velit effe parens.

Hinc tanta liberorum apud Romanos penuria, vt tres liberi multitudo viderentur praemiis ideo hono-

*) Plutarchus lib. 5. de placitis philof. c. 15.

**) Ovid. in Elegia quae Nux infcribitur verf. 23.

honoranda, quia ſobolem procreari et repleri ciuitatem liberis publice intereſt. *L.* 1. *ff. ſolut. matrim.* Inter varios trium liberorum honores etiam ille, ut a tutela caeterisque muneribus parentes excuſarentur, *L.* 2. §. 1. *et* 2. *L. vlt. ff. de vacat. et excuſ. mun.* modo liberi ſuperſtites eſſent. Attamen in bello amiſſi proderant, quoniam, vt Imperator IVSTINIANVS *) ait, *qui pro republica ceciderunt, in perpetuum, per gloriam, viuere intelliguntur.* Vetus hoc dictatum neque a Iuſtiniano excogitatum eſſe, verſus PLAVTI **) indicio ſunt:

TY. *Qui per virtutem peritat, non interit.*
HE. *Vel te interiſſe, vel periſſe praedicent,*
Dum pereas, nihil interduo, dicant viuere.

Vt autem trium liberorum parentes honorauit, ſic inter caeteras orbitatis et caelibatus poenas lex Papia Poppaea etiam hoc, ne quid ex teſtamento caperet, qui vxorem non duxiſſet, aut orbus eſſet, ſtatuit. Quam ob cauſam Diis etiam

*) Princ. Inſt. de excuſat.
**) Plaut. Captiv. act. 3. ſcen. 5. v. 32.

etiam ius trium liberorum, vt templis eorum legari et numina heredes ſcribi poſſent, immo; quod fere ridiculum, ius trium liberorum virginibus etiam dederunt Veſtalibus. Sed et vendere ſolebant imperatores hoc priuilegium et, quibus bene vellent, donare. Sic MARTIALIS *) a DOMITIANO ſibi ius trium liberorum expetit pro munere:

Quod natura vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor vt dicar eſſe trium.
Haec, ſi diſplicui, fuerint ſolatia nobis;
Haec fuerint nobis praemia, ſi placui.

Et PAVLVS libro quarto ſententiarum titulo nono ait: *Ius liberorum mater habet, quae tres liberos aut habet, aut habuit, aut neque habet neque habuit. Habet cui ſuperſunt. Habuit, quae amiſit. Neque habet neque habuit, quae* BENEFICIO PRINCIPIS *ius liberorum conſecuta eſt.* Loquitur PAVLVS de SCto Tertulliano. Hoc non requirebat vt liberi ſuperſtites eſſent, ſed hoc tantum, vt mater ter quaterue

*) Martialis lib. 2. epigr. 91.

ne peperiſſet. Fallor, aut haec ipſa, quam demonſtrauimus, liberorum raritas frequentium apud Romanos adoptionum cauſa. Apud noſtros illae parum vſitatae. Quibus enim natura liberos dedit, illis arte non opus eſt et fictionibus. Nec alia ratio, quare tanta apud Romanos teſtamentorum, quae noſtri maiores ignorabant, copia eſſet. Raro enim, qui ſuos heredes habent, teſtari ſolent, cum hoc orborum potius ſolatium videatur. Hinc in Germania *heredes ſucceſſores ſui cuique liberi*, vt TACITVS *) ait, *et nullum teſtamentum*. Cum autem M. PAPIVS *et* Q. POPPAEVS, qui legem tulerunt, conſules, ipſi, vt DIO CASSIVS **) refert, caelibes eſſent vterque et orbi, facile colligitur, trium liberorum praemia et caelibatus poenas hos non ſua voluntate irrogaſſe, ſed OCTAVII AVGVSTI CAESARIS iuſſu atque inſtinctu.

Videmur autem nobis de liberorum apud Romanos penuria et mulierum ſterilitate ſatis abunde

*) Tacitus de morib. Germ. cap. 20.
**) Dio Caſſius lib. 56.

abunde dixiſſe, quae tanta quidem fuit, vt gemini nati fere prodigio eſſent. Sane TIBERIVS imperator, cum GERMANICI ſoror, DRVSO nupta, duos virilis ſexus pueros ſimul enixa eſſet, publice in oratione ad ſenatum habita et paulo inſolentius iactauit: *Nulli antea Romanorum, eiusdem faſtigii viro, geminam ſtirpem editam*, vt TACITVS *) refert, qui huiusmodi foecunditatem *raram laetamque, etiam modicis penatibus* appellat. Quid mirum ergo ſi in monumento LV. in FAVSTINAE Iunioris, (quae PII ANTONINI filia MARCI ANTONINI vxor) honorem cuſo, haec rara SAECVLI FELICITAS appareat, qua MARCO marito gemellos peperit, auctore LAMPRIDIO, qui *Commodum* ait *natum cum fratre Antonino gemino*. Fuit autem haec foecundiſſima inter Auguſtas Italiae, vtpote non trium ſed ſeptem liberorum mater.

LVCIL-

*) Tacit. lib. 2. Annal. cap. 84.

LVCILLAM vxorem L. VERI imperatoris, licet tantum filius eius et filia a scriptoribus commemoretur, tamen tres habuisse liberos hoc numisma docet, cui inscriptum: FECVNDITAS. Senatus consulto hunc nummi honorem LVCILLAE decretum esse, litterae S. C. vel me tacente, loqvuntur.

MONV-

MONVMENTVM LVIII. LIX. LX.

Summum Pontificis iudicium cur Rota dicatur?

Sciscitanti mihi ex CANGIO, cur summum, in quo a duodecim Auditoribus, ita scilicet assessores vocari solent, lites maximi momenti dirimuntur, Romae constitutum iudicium *Rota* dicatur? responsum fero: „Nomen accepisse „ex camerae pauimento, ex marmore Porphy„retico rotae figuram efformante, atque GOL„DASTVM libro secundo Rerum Alemannicarum „pag. quinta scribere: *Rath* Germanis cameram „significare, hincque *Rotvilam* oppidum Helue„tiorum appellatum, quod in eo esset camera „iudiciorum imperalium, quae postea Spiram „translata est.„ Fateor, aliquid GOLDASTVM

 ex

ex vero vidiſſe, neque tamen ille ad primam verbi originem et poteſtatem penetrauit, quam deinde expoſituri ſumus, ſi prius VESTRII Romani iurisconſulti, qui Seculo XVI. vixit verba attulerimus. *Rotae auditores*, inquit, *vulgo appellantur propterea, quod, vt auguror, in orbem ſedentes controuerſias rotant atque examinant.* Nihil autem verius eſſe puto, quam Germanos veteres de re quadam conſultaturos, more etiam Iudaeis in Synedrio vſitato et fere naturali, in circulum conſediſſe, qui noſtra in lingua *Rad* dicitur. Miror id WACHTERVM et HALTAVSIVM latuiſſe, qui in ſuis Gloſſariis alios verbi *Rathen* fontes quaerunt. Sed res plane manifeſta eſt. Nempe cum circulum et orbem quemlibet maiores noſtri, vt diximus, rotam appellauerint, facile intelligitur, cur *Rad* conſeſſum in conciliis denotet; quod verbum, mutata deinde orthographia, nunc *Rath* et *Rathen* ex ignorantia ſcribimus. Adhuc hodie vulgari ſermone dicere ſolemus: *Zu Rade gehen*, quae locutio proprie ſignificat: in rotam et ad circulum ire, metonymice autem *conſulere.* Vt vero primum Gothi, poſtea Longobardi ſuam linguam, ſuas conſuetudines et iura apportarunt in Italiam, imo veſtium

formas

LVIII.

ad pag. 162.

formas nouas Romanis dederunt, nam ex Româ togata fecerunt braccatam: ita plane mihi persuadeo, hoc Italorum verbum Rota non quidem Teutonicum esse, cum littera *o* in verbo *Rad* non obveniat, sed littera *a* radicalis et plane necessaria sit (siquidem *Rot*, *Rotten*, *Roth*, res alias significat, adeoque *Rad* in Rota, vt GOLDASTVS vult, commutari non potuit) attamen per soloecimum factum esse, vt, ad similitudinem nostrae linguae, Itali iudicum coronam Rotam dicerent. Nec puto cuiquam haec incredibilia aut ambigua fore, qui Prolusionem nostram *) *De iure canonico ex legibus Germanicis explicando* perlecturus sit.

Sed cum oculi plus, quam aures, creduli sint, adspiciamus primo pauimentum illud Porphyreticum, quod supra CANGIVS nominabat. Delineauimus hoc ex DOMINICI BERNINI *Tribunali Rotae Romanae*, libro Italice scripto, qui in vetusta tabellarii Rotalis membrana ita depictum invenit. Deinde etiam sigilla

*) Programma Lipsiae anno 1755. editum.

ſigilla iudicum huius tribunalis coronam hominum exhibent. Vetuſtiori inſcriptum: APOSTOLICI COLLEGII AVDITORVM SACRI PALACII. Recentius autem atque minus haec verba monſtrat: COLLEGII AVDITOR. SACRI PAL. APoſtoLIC.

MONV-


ad pag. 164.

LIX.





LX.



MONVMENTVM LXI.

De titulo Imperatoris: semper Augustus.

In glorioso IVSTINIANI titulo: *Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator, semper Augustus*, quamcunque demum verbo originem ac poteſtatem tribuas, tamen, quid SEMPER AVGVSTVS ſignificet? credo obſcurum fore. Mihi autem adhuc adoleſcenti haec adeo inepta videbantur, vt non ſolum maiorum noſtrorum inſcitiam riderem, qui in lingua Germanica *Mehrer des Reichs*, hoc eſt *Ampliatores* eos quoque imperatores appellarunt, qui imperii bona diminuiſſent, verum etiam viderer mihi vetuſtiorum hominum turpem errorem animadvertiſſe, vtpote qui vitioſa diſtinctione legerint: *Victor ac triumphator, ſemper auguſtus,* cum potius, quae tunc mea coniectura erat, hoc modo vocabula diſtinguere debuiſſent: *Victor ac triumphator ſemper, Auguſtus.* Neque me vetuſtae apud

GRVTERVM lapidum inscriptiones, in quarum vna Valentinianus: PERPETVVS AC FELIX SEMPER AVGVSTVS, in altera Valentinianus, Valens et Gratianus PERPETVI PII FELICES SEMPER AVGVSTI dicuntur, ab hac concepta opinione dimouebant, siquidem etiam in his comma post verbum *semper* constitui possit, contra vero animum haec cogitantem maximopere praesens numisma confirmabat, in quo non solum AVRELIVS PROBVS VICTORIOSVS SEMPER dicitur, verum etiam particula *semper*, praemitti consueta nomini postponitur. Praeterea laeta mihi et fautrix fortuna apud BANDVRIVM *) offerebat alium nummum VALERII CONSTANTII cum epigraphe: *Vndique Victores* et LICINII, quendam admodum fauorabilem, vtpote inscriptum: *Vbique Victores.* **) Vtinam vero magis diuturna fuisset speciosae, vt videbatur, inventionis laetitia! sed ohe primum Graeci eam turbabant, qui IVSTINIANVM *ἀει σεβαστον* dixere, ***) deinde etiam inde speratam gloriam nummi

*) Bandurii Numismata Impp. T. II. pag. 90. et 215.

**) Bandur. ibid. p. 180. et 182.

***) Nouell. 17.

ad p. 166.


VICTORIOSO SEMPER

LXI.


BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

nummi potissimum eripiebant, in quibus frequens *Perpetui Augusti* elogium, *) vt iam, turbae me immiscens vulgari, nihil plane in recepta lectione innouandum existimem, eos tamen nihilo minus ineptos iudicem, qui ab augendo hoc nomen repetunt, cum potius diuina et sancta Romani *Augusta* dixerint. Testis huius rei FLORVS, qui ita commentatur: **) *Tractatum etiam in senatu, an, quia Octauius condidisset imperium, Romulus vocaretur? sed sanctius et reuerentius visum est nomen* AVGVSTI, *vt scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.* Rectius ergo Graeci *adorandos*, quam Germani *amplificatores*, Augustos dixere.

MONV-

*) Bandur. T. II. p. 369. 370. 372.
**) Florus lib. 4. c. 12.

MONVM. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII.

Insignia Romanorum loquentia.

Si picta familiarum insignia nomini alludant, ea Heraldici, siue insignium interpretes, *arma loquentia* dixere. Huius generis hodie fere innumera, sed in vetustis etiam Romanorum familiis illa obseruasse, iucundum.

Cum HERODOTVS tradat, Cares primos coepisse signa clypeis galeisque adiungere, iam olim insignia familiarum, eodem modo quo in nostra lingua *) fieri solet, *Arma* a VIRGILIO dicta fuerunt: **)

- - - *celsis in puppibus arma Caici.*


Armis quippe inscripta insignia, quae mihi non temporariae videntur vnius hominis, sed hereditadita-

*) Wappen id est *Waffen*, seu arma.

**) Virgil. Aen. lib. I. v. 187.


ad pag. 168.

LXII.




LXIII. LXIV.





LXV. LXVI.








LXVII.





ditariae atque perpetuae familiarum notae, vt ex SVETONIO *) intelligimus, qui de Caligula: *Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit*, TORQVATO *torquem*, CINCINNATO *crinem*, et ex OVIDIO: **)

Cum pater in capulo gladii cognouit eburno
Signa sui generis.

Sed ad arma reuertamur loquentia. Malleolum, in C. MALLEOLI nummo, iam supra nobis monumentum XXIII. exhibuit. In monumento QVINTVS VOCONIVS VITVLVS vitulo; in monumento LXII. PINARIVS SCARPVS, qui Iulii Caesaris tempore Imperator copiis praefuit, manus vola cum iunctura brachii, nummum signauit, quia Graecis καρπος hic manus articulus dicitur, ex quo verbo PINARII SCARPI familiare nomen, praemisso sibilo, vt multis vocabulis, etiam germanicae linguae euenisse nouimus. Nam *Sizen* ab ἵζειν, *Schleim* a λυμα, *Schnur* a nurus; apud Romanos vero: *scriba*

*) Sueton. in Caligula cap. 35.
**) Ouid. Metam. lib. 7.

ſcribo a γϱαϕω, *Sal* ab ἁλς, *Serpo* ab ἑϱπω deſcendit, vt alia taceamus.

LVCII LVCRETII TRIONIS nummus, qui ſequitur, ſeptem ſtellis inſignis, quae plebi plauſtrum, Romanis ſeptentriones, ſed et *Triones*, non, vt quidam opinantur, propterea dictae ſunt, quod ob verbi longitudinem ruſtici, abiectis prioribus ſyllabis, vltimas retinuiſſe viſi ſunt, ſed quod VARRO *) docuit: *Triones* veteribus dictos fuiſſe bigas boum plauſtra vehentium, vt apud NAEVIVM: *Trionum hic moderator ruſticus.*

Ab aſcia Aſciculus factus, fabrile inſtrumentum, quo in primis ſaxa caeduntur, quod appoſuit binis nummis LVCIVS VALERIVS ASCICVLVS, cum capite quodam cincinato, de quo dubitamus, an, propter ſtellam appoſitam, CASTORIS videri poſſit, cum ſemper is cum fratre pileatus appareat.

Tandem ſiſtimus QVINTI POMPONII MVSAE inſignia, in cuius nummis ſemper vna ex

*) Gellius Noct. Att. lib. 2. c. 21.

ex nouem ſororibus expreſſa, vt in noſtro EVTERPE, tragoediae tutela, vnde perſona in manibus.

L. AQVILIVS FLORVS flore vtitur in nummo, quem alio tempore proponemus. Nunc haec ſufficiant. Neque enim praelibare placet, quae infra de PAPIAE gentis ſigno cacabo, quo pappa infantibus coquitur, HARDVINI more, id eſt audaciter, coniicimus.

MONV-

MONVMENTVM LXVIII.

Hominium regi Galliae praestitum, Seculo XIV.

Insignia vestibus intexta ne singulare decus putes parium curiae et ad investiturae ritum pertinentia. Illa enim, quemadmodum ex aliis eiusdem, cui hanc debemus, MONTEFALCONII picturis intelligitur, vulgaris Seculo XIV. vestium ornatus, meo iudicio pulcherrimus. Nam et illustres nobilesque foeminae familiaria insignia iis temporibus stolis acu splendide appicta gerebant, vt hoc spectaculo se a caeteris distinguerent. Haec obiter, nunc tabulam explicabimus ipsis MONTEFALCONII verbis: „Eodem circiter tempore, inquit, et „paulo ante decessum Constabularii GVESCLINII et Regis CAROLI V. Dux Borbonius „hominium ipsi praestitit, pro comitatu Claro-

„montano

LXVIII



ad pag.172.



„montano, in Bellouacensi agro. Quae res „depicta habetur in Codice manuscripto homi-„niorum eiusdem Comitatus, ad cuius fidem „D. GAGNERIUS tabellam depictam suam „delineari curauit - - - - Rex in solio suo „sedet, pallio regio amictus liliis consperso, „assutis murium Ponticorum pellibus, coronam „capite gestans. LUDOVICUS II. *Dux Bor-„bonius* ambas manus iunctas, intra Regis ma-„nus inserit, genu flectens, quoddam ceu ser-„tum capite gestans, insignibus suis vestitur, „pugionemque habet ab zona pendentem. „A Regis latere, et a tergo pene, visitur DEL-„PHINUS, insignia Franciae, insignibus „iuncta Delphinatus gestans, et prope illum „frater eius, insignibus Franciae cum limbo „Aurelianensium Ducum indutus. Pone illos „sunt tres Regis CAROLI fratres; *Andega-„vensis Dux* cum ora rubra denticulata; *Dux „Burgundiae*, cum insignibus Franciae et Bur-„gundiae simul iunctis. Qui solio Regio ma-„num imponit, est IOANNES ARTESIUS, „*Comes Augensis*, ad cuius latus, et pone so-„lium regium est *Franciae Cancellarius*, quod-„dam quasi sertum capite gestans, et virgam „manu



„manu tenens. Infimo loco in eodem latere „quinque proceres funt, eadem linea et ordi- „ne pofiti. Primus eft *Conftabularius* BER- „TRANDVS GVESCLINIVS, cuius infignia „haec funt: in argenteo campo aquila nigra „duobus expanfa capitibus, cum fafciola rubra „omnia fupergrediente. Poft illum fequuntur „*Marefcalli* Sancerranus et Blanuilaeus, HVGO „Cadellionaeus, Domni-Petri Toparcha, Sa- „gittariorum Magifter, et IOANNES DE „VIENNA, navium Praefectus, qui omnes „infignibus fuis ornantur. Ii, qui Borbonium „Ducem comitantur, funt *Belli-ioci Dominus*, „cuius veftis haec infignia habet: in campo „aureo leo niger, cum limbo rubro; NEDON- „CHELLENSIS, Cambellanus Borboniae Du- „cis. Is oblongum baculum erectum tenet, „in cuius fummitate multae claues funt, claues „nempe, vt videtur, caftelli Claromontani „Bellouacenfis. Pone illum eft REGINAL- „DVS DE TRIA, cuius infignia funt campus „aureus cum diagnali fafcia rubra, cui infidet „alia fafcia ex argento et caeruleo colore com- „pofita, cum merula nigra. Sub illo eft IO- „ANNES *Nothus Borbonius*, ac pone illum

„PETRVS

„ PETRVS DE AVXIO DE MONGELLIS,
„ cuius vestis tessellata est auro et rubro colore;
„ eratque ille Ducis Borbonii Cambellanus.
„ Ex duobus qui in hac linea et ordine postremi
„ sunt, is qui rubro colore vestitur, cum qua-
„ tuor fasciis argenteis, est Clarimontanae fa-
„ miliae; Alter vero notus non est. „

MONV-


MONVMENT. LXIX. LXX. LXXI. ET LXXII.

Seruius Sulpicius, Alphenus Varus et Sempronius Sophus.


Cum genuinas iuris peritorum effigies aliquoties ſpectandas propoſuerim, nunc etiam dubiae fidei, aut (cur enim verum non eloquar?) falſas dabo. De duobus primoribus VAILLANTIVS in Familia Sulpicia, plane vt VRSINVS praecantauerat, ita ait: *Capita L. Servii Iurisconſulti, ex auerſa Caſtor et Pollux.* Vtinam vera diceret! Sed, cum alio loco *) probatum a nobis et ſatis notum ſit, barbatos vixiſſe Romanos vsque ad annum vrbis conditae CCCCLIV, quo ex Sicilia graeci tonſores advenerant,


*) Vide ſupra Monument. 12. 13. et 14.

ad pag. 176.


RVFVS
L. SERVIVS
LXIX.


RVFVS
L. SERVIVS.
LXX.
IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.


LXXI.
P. FVARVS
P. ALFINIAS
IIIVIR


LXXII.
P. SEMP. P. F.
SOPHVS


NAPOLI

venerant, postea vero imberbes apparere vsque ad HADRIANI Imperatoris tempora, qui nescio quas, genarum deformitates aut vulnera vt tegeret, barbam enutriuit, SERVIVS vero CICERONIS tempore vixerit, qui funus curauit eidemque statuam decreuit, barba apparens in nummo manifesta VRSINI atque VAILLANTIS mendacia prodit. Deinde praeter dictatores, praeter reipublicae constituendae triumviros atque imperatores, nemo ausus sua nummos imagine signare, sed maiorum tantummodo, qui magistratus curules gesserant, repetere imagines et memoriam in aere recolere licebat. Cuiusnam igitur illud in nummis caput est, si non est SERVII iurisconsulti? Cuiusnam? nisi aut Sulpiciae gentis, aut quod malim, familiae in hac gente Rufinae primi conditoris? Id capiti propius adscriptum verbum RVFVS quodammodo videtur indicare. Plenum iurisconsulti nomen fuit SERVIVS SVLPICIVS QVINTI FILIVS LEMONIA RVFVS.*) Caue igitur, ne

*) Cicero Philipp. IX. cap. 7.

ne obuenientem in nummo vtroque cum caeteris interpretibus, litteram L. praenomen LVCII significare putes. Nam in loco CICERONIS, quo plenum eius nomen pronuntiatur, Lucius abest; praeterea mirum foret et maxime insolitum, duobus quemquam praenominibus vti. SERVIVS quippe praenomen est. Puto itaque Lemoniam tribum significari, quia SERVIVS SVLPICIVS LEMONIA RVFVS a CICERONE appellatur, atque inscriptionem nummi hac ratione lego: SERVIVS RVFVS LEMONIA.

ALFENI VARI, seu Alfiniae potius, non vultum quidem, attamen nomen sequens denarius seruat. Nam caput in eo aut HERCVLIS cum claua, aut Neptuni cum tridente est. ALFINAS inscriptum, quod verum nomen gentis est, vt ex GELLII Noctibus Atticis, nempe libri sexti capite quinto, discimus, vbi antiqui codices habent ALFINIVS, quod interpretes recentiores inepte ex Pandectis in ALFENVS deprauarunt, quasi negligentioris TRIBONIANI maior sit, quam accuratissimi GELLII fides. Qui plura de hoc nummo aut ipso ALFINIA scire cupit, EVERHARDI

OTTO-

OTTONIS praefationem consulat, quam Thesauri Iuris quinto volumini praemisit.

Nos iam PVBLIVM SEMPRONIVM P. Filium SOPHVM salutamus, aut potius IOVEM Capitolinum cum barba. Neque enim iure consulti, sed numinis icon. Licet vero inuida aetas sapientissimi viri effigiem nobis subduxerit, tamen vel eius nomine, perspicuis litteris expresso, valde delectamur. De Sophi cognomine POMPONIVS *in L. 2. §. 37. ff. de origine iuris* illud notissimum scribit: *Fuit post eos maximae scientiae* SEMPRONIVS, *quem populus Romanus* SOPHVM *appellauit, nec quisquam ante hunc, aut post hunc, hoc nomine cognominatus est.* Nempe Graecia septem habet sapientes, Roma vnum SEMPRONIVM. Neque sibi aduersari ipse videtur POMPONIVS, cum *in §. 38.* dicit: PVBLIVM ATILIVM a populo *Sapientem* dictum esse. Diuersa enim haec. Sapiens quippe ATILIVS, quia catus erat et prudens; Sophus SEMPRONIVS, quia doctus.

MONVMENTVM LXXIII.

Singularium certaminum furor lege coër-citus.

Non hic de duello iudiciali agitur, lege, apud veteres Germanos, moribusque probato, sed de ſingularium certaminum priuata vltione, cum

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro

iracundiores quidam illatas ſibi iniurias nefarie vindicant. Hanc eccleſiaſticis cenſuris primo concilii Tridentini Seſſio XXV. cap. XIX. coercuit, poſtea in Galliis LVDOVICVS Magnus,*) deinde, poſtquam de ea re in comitiis Ratisbonenſibus

---

*) Medailles de Louis XIV.

ad pag. 180.



LXXIII.



bonenfibus anno MDCLXVIII. actum effet, inter Germaniae proceres primum elector Brandenburgicus FRIDERICVS ille, qui rex deinde euafit, anno MDCLXXXVIII, tandem etiam huius ad exemplum, in Saxonia FRIDERICVS AVGVSTVS rex Poloniae anno MDCCVI, plenius vero atque feuerius MDCCXII. profcripferunt, infami atque turpiffima laquei poena in iracundiam tam peruerfam animaduertentes.

Iam exempla priuatorum certaminum ex Graecorum atque Romanorum hiftoria vetuftiori, quae in iure belli et pacis collegit GROTIVS, repetere nolumus, fed hoc folum notare, eam rem, vltimas fuiffe in Gallia et Germania priftini, vt vocare folebant, manuarii iuris reliquias. Cum enim primis temporibus, vt erat immoderata Germanorum libertas, nobilibus liceret inimicitias denuntiare et bellum indicere quibuscunque vellent, neque huic inueterato malo vna lege mederi poffent imperatores, fenfim ac pedetentim progreffi, initio quidem FRIDERICVS I. *) *vt, quicunque alteri damnum facere*

*) V. Feud. lib. 10.

facere aut laedere ipsum intendat, tribus ad minimum diebus per certum nuncium diffiduci et eum, sanciuit, deinde CAROLVS Quartus in Aurea Bulla cap. XVII. quasi leges quasdam priuatorum feciales composuit, his quidem verbis: *Sancimus: non licere praetextu diffidationis cuiuslibet quempiam inuadi, per incendia, spolia, et rapinas, nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco, quo habitare consueuit, publice fuerit intimata, possitque intimatione huiusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare et inuadere modo praemisso praesumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset, quem etiam, tanquam proditorem, per quoscunque iudices poenis legalibus statuimus castigari.* Hoc in statu illa belli priuati licentia permansit, vsque dum MAXIMILIANVS Primus lege de pace publica perlata, et constituto Camerali iudicio, ius omne manuarium tolleret, caeteri vero principes in suis prouinciis ad exemplum Cameralis iudicii, curias seu *Hofgerichte* fundarent, *) in

*) Hugo de statu region. German. c. 4. §. 31. seq.

in quibus hodie de nobilium controuersiis iudex legitimo modo decernit. Facile se quidem hisce iudicibus milites et principes in litibus pecuniariis submiserunt, sed, si forte fama cuiusquam laesa videretur, iis, vt antea, certamina placuerunt, quia existimabant, si quod ablatum est, iudex restituere non possit, nec iudicio opus esse, sed licere laeso se ipsum vindicare. Non videbatur autem a iudice honorem restitui posse propterea, quod vulgi opinione, cui colaphus impactus esset, censebatur eo vsque infamis, donec armis iniuriam propulsasset. In sola ergo famae, existimationis et honoris causa nobilibus conniuebant quodammodo leges ad LVDOVICI vsque tempora, qui ob res praeclare gestas Magni cognomen reportauit. Neque tamen leges is omnium primus in hunc furorem exarmauit, sed iam ante eum HENRICVS Quartus anno MDCIX. deinde LVDOVICVS XIII. anno MDCXI. et postea MDCXVII. nequis alterum ad certamen prouocaret, sub eadem laquei et infamiae poena, interdixerant. Haec autem, vt THVANVS et GRAMONDVS scribunt, omnia incassum. Non diutius ergo suam vinci maiesta-

tem a praua et sanguinolenta gladiatorum pervicacia rex ille magnus passus est, sed maiorum suorum institutis, graui atque acerbissimo facinorosis edicto, quod in nummo memoratur, ab Academia excogitato, quasi colophonem addidit. Nonne legem humano generi tam salutarem centum victoriis praestare dicamus?

MONV-

MONVMENTVM LXXIV.

Vindicatio equi, ſecundum veteres Germaniae mores.

Satis ridicularis apud Romanos vindicationum ritus, cum vetuſtis moribus, petitor manum ſeruo, quem vindicare volebat, iniiceret his verbis; AIO HVNC HOMINEM MEVM ESSE EX IVRE QVIRITIVM, alter vero, qui contra vindicabat, eundem iniecta manu ad ſe raperet atque IMO MEVS EST, vociferaret. Hoc erat ex iure manu conſertum rem repetere, vt ENNIVS ait. Hoc dicere ſolebant: vim fieri moribus, teſte GELLIO, qui eam ciuilem vim et feſtucariam appellauit, quemadmodum etiam in libris amorum OVIDIVS manus iniicere pro vindicare poſuit:

Iniiciam dominas in mea iura manus.

et alio loco:

Et dicam mea ſunt, iniiciamque manus.



Addo tertium eiusdem poetae versum, quo dominae Mortis in mortales imperium his verbis describit:

Omnibus obscuras iniicit illa manus.

Haec manus iniectio Germanis ANEFANG. *) Eqvum potissimum lepida festiuitate vindicare solebant, vt ex iure Magdeburgensium Municipali **) intelligimus: *Ist es aber ein Pferd, das man anspricht, da sol er sich zu ziehen, als recht ist. Er sol mit seinen rechten Fuss dem Pferd fornen auf seinen linken Fuss treten, und sol mit der linken Hand greifen dem Pferd an sein recht Ohr, und sol begehren der Heilichen, und sol schweren dem Pferd über dem Haupt, dass das Pferd sein gewest und noch sein sey, do es ihm gestolen oder geraubet ward.* HOC EST: „Sin vero sit eqvus, quem vindicare velit, id „rite suscipiat, quemadmodum ius est. Dextro „suo pede sinistram equi vngulam supercalcato, „manu vero sinistra dextram equi aurem arri- „pito,

*) Grupen Teutsche Alterthümer p. 162. et 195. in fin.

**) Weichbild. art. 133.

ad p. 186.

R

LXXIV

„pito, deinde petat ſanctorum reliquias, et iuret „equi ſuper capite, ſuum fuiſſe eqvum et eſſe „adhuc, ſi ipſi fuerit furto aut rapina ablatus.„ Hoc exacte praeſens pictura docet. Tenet habenam poſſeſſor animalis, a quo id petitur. Vindicaturus autem dextra ſua manu aurem quadrupedis ſiniſtram arripit. Is, qui in ſcamno ſedet, tecto mitella capite, taeniolis duabus diſtincta, iudex eſt. Neque tamen, quis dixerit, dextro ſuo pede ſiniſtram vngulam ſupercalcari video. Nempe ſeculo XIV. quo iſthaec picta ſunt, manu ſolum, non pedibus, vindicare ſolebant, cum ille, quem pedibus olim peragebant, ritus iis temporibus iam in deſuetudinem abiiſſet, quemadmodum vetus gloſſa *) innuit: *Nu ſeggen etlicke dulle Lüde, wenn ſick eyner wes unterwindet, ſo ſchole he ene treden uppe den rechtern Vot, und nemen id by deme rechtern Oren, eft id eyn Veh ſy. Dar en kere dy nicht an, ſunder he gripe id, wor he id grypen kan, id is allicke vele; wente diſse vare ſind alle afgelegt.*

MONV-

*) Gloſſa ad lib. 2. Spec. Sax. Artic. 34.

MONVMENTVM LXXV. LXXVI. LXXVII.

Sextus Aelius, Quintus Tubero et Attejus Capito.

Egregie cordati hominis SEXTI AELII PAETI CATI nomen numisma primum habet. Non alius is, quam ille notiſſimus Iuris Aeliani conditor. Aedilem Curulem fuiſſe, niſi iam ex LIVIO *) conſtaret, verſa nummi pars docere poterat. Neque tamen ipſius eſt, qui in ea apparet, AELII vultus, ſed alicuius ex maioribus eius, aut potius, vt plerique ex oppoſita in tergo aquila colligunt, IOVIS ANXVRIS, id eſt, Imberbis. Neque te perturbet, quod ALLIVS ſcriptum eſt. Quemadmodum enim hodie

*) Liuius lib. 31. cap. 50.

ad pag. 188.



EX S.C.
AED. CVR.
LXXV.
Q.F.CATVS
SEX.ALLIVS



LXXVI.
Q.TVBERO



POT.
CAESAR
AVGVSTVS TR.
LXXVII.
C.P.OREST.
IIIVIR
CATEI.CAPIT

hodie in multis nominibus fieri solet, vt alio modo scribi, alio pronuntiari soleant, ita apud Romanos qui deinde AELII fuerunt, antiquis in monumentis et Capitolinis fastis ALLII. Eodem modo, qui postea ALFENI, illi antea ALFINIAE.

Sequitur Q. TVBERO, de quo in *L.* 2. §. 40. *ff. de orig. iur.* haec Pomponius litteris mandauit: *Paulus Verginius et Q. Tubero, ille Stoicus Pansae auditor, qui et ipse consul.* Iam dudum alii extra omnem dubitationis aleam posuerunt, TVBERONEM consulem nunquam fuisse, atque ob id POMPONIVM flagellis criticis mirum in modum castigant. Quid autem? Anne his verbis bonus POMPONIVS hoc unquam dixit? Furias agere existimauerim, qui contra omnes grammatices regulas hoc in eo loco sibi animaduertere visi sunt. Quis enim attentior haec verba considerans, non videat, relatiuum *ille* non ad TVBERONEM sed ad VERGINIVM esse referendum? Verba sane, in quibus consul et PANAETII auditor alteruter eorum dicitur, si de TVBERONE valerent, non *ille*, sed *hic* scribendum fuisset.

Quare

Quare igitur, o temerarii! non veſtram incuriam potius, quam POMPONII diligentiam accuſatis? Scio tamen quid doctos homines, vt haec verba de TVBERONE acciperent, decepiſſe videatur. Nempe cum CICERO *) ſtoicae philoſophiae addictiſſimum TVBERONEM fuiſſe referat, idcirco haec Pomponii verba de eo acceperunt. Fuit TVBERO ſtoicus, fateor; ſed fuit etiam P. VERGINIVS. Hunc perperam vulgata lectio Paulum Verginium vocat, cum Paulus praenomen non ſit, ſed cognomen, praeſertim Aemiliorum. Vnde legere malim: P. AVLIVS VERGINIVS. Auliorum enim familia apud LIVIVM. **) Inter conſules autem in Cuspiniani Faſtis P. VIRGINIVS obuenit. Potuit ille etiam ſuffectus eſſe. Noſter vero TVBERO neque PANSAE, ſiue vt rectius ſcribitur, PANAETII auditor, neque conſul fuit.

Claudit tabulam C. ATTEIVS CAPITO, liberalis ingenii iure conſultus ſed animi ſeruilis, vtpote

*) Cicero in Bruto cap. 31.

**) Liuius lib. 27. c. 26. et 27. lib. 8. cap. 37. lib. 9. cap. 15. 16. et 22.

vtpote OCTAVII et TIBERII turpiculus assentator, qui suo obsequio meruit, vt LABEONI ANTISTIO, a quo multis modis dissidebat, in honore anteiret. Nam ad consulatum CAPITO peruenit, in quo Senatus consultum fecisse dicitur, ne liberta inuita patrono nubere cogeretur. *L.* 29. *ff. de ritu nuptiar.* Caeterum ex hoc nummo, si nihil aliud, hoc tamen discimus, fuisse CAPITONEM, sub AVGVSTO imperatore, auro argento aere flando atque feriundo triumvirum.

MONV-

MONVMENTVM LXXVIII.

Inuestitura primi Marchionis Brandenburgensis, Alberti.

Parua hic exordia damus regiae nunc et potentissimae domus. Nempe quotquot huius bracteae interpretes consului, vno ore omnes, eam ad ALBERTVM Filium Ottonis, Marchionem Brandenburgensem primum, referunt qui Vrsus cognominatus est, et priusquam ad hanc dignitatem eueheretur, comitatui Ballenstedensi praefuit. Accepit is Marcas ab Imperatore tres: Brandenburgensem, Soltwededelinam, atque Lusaticam. *) Ad quam potissimum

---

*) Köhleri Münz Belustigung Parte 8. pag. 170.

ad pag. 192.



LXXVIII.



tiſſimum marchiam inſignia clypeo inſcripta pertineant, non ſatis expeditum. Neque enim Luſaticus taurus, neque Brandenburgenſis aquila adeſt, neque etiam familiare ſignum Ballenſtedenſis comitatus, quod quinque nigras taenias in campo aureo habet. Nihil ergo ſupereſt, niſi vt Soltwedelina inſignia ea putemus, aut, quia ab Hiſtoricis ALBERTVS noſter plerumque *Nobiliſſimus Marchio de Saxonia* vocatur, hanc faſciam pro ruta Saxoncia, quae iam tum in vſu fuit, **) habeamus. Nempe, quae initio pura et ſimplex faſcia fuit, in obliqvum ducta, eam pictores deinde, ornatus cauſa, floribus ſeu foliis exornaſſe putantur. In his quidem omnibus licet nihil definire audeam, cum ne quidem mihi hoc ſatis certum videatur, an ALBERTI VRSI haec moneta ſit, cum marchias praeter Brandenburgenſem, atque etiam marchiones ALBERTOS praeter hunc plures habeamus; tamen, quicunque demum ille in nummo ſignatus ALBERTVS marchio fuerit, veram inueſtiturae hanc formam eſſe, vexillum por-

*) Struuii diſſ. de ruta Saxonica.

porrectum satis indigitat. Quid enim impedit, quo minus personam, quae ad dextram constituta est, LOTHARIVM II. Imperatorem, aut CONRADVM III. repraesentare, dicamus? Sane Attalica vestis pellibus Hermionum suffulta imperatoris chlamydi, quam episcopali similior. Neque, qua caput tectum, mitra bicornis videtur, vt KOEHLER arbitratur, etiamsi e contrario fatendum sit, neque coronam eam esse. Ad galeae formam proxime, ni fallor, accedit. Caputium autem, quod collo circumfusum, episcopum aut abbatem non satis clare demonstrat, cum etiam a laicorum vestibus, illo tempore, hoc saepe retro dependeat. Fuerunt, qui foeminam, ipsamque ALBERTI vxorem eam crederent, quod minus probabile. Licet autem, vt, quod res est, ingenue fateamur, in hoc memorabili nummo pleraque obscura et multis dubitationibus obnoxia sint, ne tamen omnia in medio relinquamus neque plane nihil definiamus, nos, vsque dum nemo meliora probauerit, inaugurationis symbolum dicemus. At non stantes, (haec enim facile reponi posse praevideo) sed geniculati inuestiebantur principes. Vera narras

narras, neque ego dubito, si imperator hunc nummum signasset, marchionem in genibus apparitum fuisse; sed cum ipse marchio cuderit, facile est ad judicandum, hunc in honoratiori statu, quam genibus flexis, se pingi maluisse.



MONVMENTVM LXXIX.

Inveſtitura primi Electoris Brandenburgenſis, Friderici I.

Poſt inaugurationem primi Marchionis Brandenburgici ALBERTI, ex quo Regum Boruſſorum hodierna familia deſcendit, nunc etiam videamus, quo ritu FRIDERICVS dignitatem electoratus iure beneficii a SIGISMVNDO Imperatore anno MCCCCXVII. Conſtantiae, vbi tunc concilium habebatur, acceperit. Haec ſolennitas in veteri monumento Noribergae depicta, ob antiquitatis reuerentiam, ſatis digna eſt, quae a nobis repetatur. Videmus in ea FRIDERICVM iam ſenescentem in vnum genu prouolutum, atque manu vexillum Brandenburgenſis Marcae tenentem. SIGISMVNDVS cum nudato gladio ſedet. Sed cur meis haec verbis dico?

ad pag. 196

LXXXIX

dico? cum in promtu habeam NAVCLERI, scriptoris fere coaetanei, Chronicon, qui, quasi hanc picturam prae oculis habuisset, rem planissime et graphice describit: *Mane facto, quidam Comites Barones ac Nobiles, cateruatim equitabant per ciuitatem ter, ducentes duo vexilla, tubis laetitiae signa sonantibus.*

His quasi praeludiis habitis, conuenerunt omnes Principes, ad habitationem Burggrauii, deferentes minuta vexilla, armis futuri principis insignita, conduxeruntque FRIDERICVM *Burggrauium ad forum vsque. Erant in foro tabulata, in quae conscendit Caesar coronam in capite gestans. Ac vbi in throno consedisset, Electores imperii, qui aderant in suis habitibus, a dextris partim et a sinistris, in officio stabant.*

Postea ascendit Burggrauius, ducens secum duos milites, vexilla Marchiae ac Burggrauiatus tenentes in manibus. Prouolutus genubus Imperatoris Burggrauius, petebat se Marchionem creari, atque de Marchia *inuestiri. Mox lectae sunt litterae, iuxta quarum tenorem deberet iurare. Praestito sic iuramento, creatus est* FRI-

DERICVS *in Marchionem Brandenburgensem, de Marchiaque, iuxta morem curiae, existit inuestitus. Dedit illi Rex primo vexillum Marchiae in manus, postea pomum et sceptrum, quae gestabat Comes Palatinus Rheni, accinxitque eum gladio, consuetis adhibitis solennitatibus: Et sic iste* FRIDERICVS *dignitatem Electoratus Imperii primus in familiam Burggrauiorum Norinbergensium adduxit.* Haec omnia exacte cum pictura nostra conueniunt, nisi quod NAVCLERVS alterum vexillum Burggraviatus Norinbergensis signa habuisse refert. Haec autem leo niger in campo aureo, rubra corona cinctus. Absunt haec in monumento nostro. Vexillum potius quadripartitum nigris et argenteis areis distinctum nobilis quidam tenet. Qualia ergo haec insignia? Nempe comitatus Hohenzollerii, *) ex qua familia hic FRIDERICVS ortus erat. Quod ille a tergo imperatoris constitutus ambabus manibus tollit, vaginam puto imperialis gladii.

Ridicula

*) Trieri Wappen Kunst p. 487.

Ridicula vero, acutas in cuspides desinens et plantae longitudinem longe multumque superans, calceorum forma,

Quae fugit in longum tractumque inclinat acumen,

vt poeta istorum temporum IOHANNES ARCHITRENIVS ait. Huiusmodi mirabilis formae calceos etiam in graecis monumentis me obseruasse memini, a quibus mos in Galliam venit, ac eo vsque viguit, donec CAROLVS VI. stultitiae finem imponeret. Ita enim CONTINVATOR NANGII ad annum MCCCLXV. apud CANGIVM: *Sotulares habebant, in quibus rostra longissima in parte anteriori, ad modum vnius cornu in longum; alii in obliquum, vt Grissones habent retro et naturaliter pro vnguibus gerunt, ipsi communiter deportabant, quae quidem rostra Pouleneqs gallice nominabant. Et quia res erat valde turpis, et quasi contra procreationem naturalium membrorum circa pedes, quinimo abusus naturae videbatur, ideo dominus rex* CAROLVS *fecit per praecones Parisiis proclamare publice, ne aliquis, quicunque esset, qui auderet talia deportare:*

et etiam, quod neque artifices sub magna poena de caetero tales calceos, et sed neque ocreas sic punctatas facere praesumeret, nec venderet cuicunque, nam simili modo dominus Papa VRBANVS QVINTVS *in Romana curia inhibuerat valde stricte.* Foeminas quoque talibus vsas esse in Germania ex RINGVALDO, *) poeta Germanico seculi XVI. intelligimus, apud quem virgo in inferno ita loquitur:

Vnd wenn ich denn in meiner Schmink
Mit meiner Magd zur Kirche gieng,
Daselbst (wie man pflegt,) zu beten,
So het ich nicht ein Ey zertreten:
So gar vorzumpfen kund ich thun,
In meinen SCHMAL GESCHNÜRTEN SCHVN,
Die ich mir hat zu meiner Strassen,
Nach Art der Edlen machen lassen.

Ne rideas quaeso. Nam et nostro tempore in vestibus, in cincinatis adolescentum puellarumque crinibus et mitellis mulierum, multa contra naturam et ineptissima videas, quae licet iam placeant, tamen ita posteritas traducet, vt nos

*) Ringewald Beschreibung des Himmels und der Hölle.

nos maiorum roſtratos illos longiſſimosque calceos ridemus. Multa ſcilicet praua atque inepta fieri videas moribus, quae ſi pauci facerent, vereamur imitari; qvum vero plures inſtituerunt, (quaſi honeſtius videatur, quod frequentius) ſequimur, et pulchri apud nos locum tenet deformitas, vbi publica facta eſt.

MONVMENTVM LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV.

Feoda Comitum an vexillaria?

Duces quondam in Germania, vexillo fuisse inauguratos, eam ob causam ducatus beneficia vexillaria dici consueuisse, Speculum Saxonicum in libri tertii articulo LXII. innuit, vbi ECCIVS: *Septem etiam feuda vexillorum in Saxonia sunt definita: Ducatus Saxoniae, Palentia, Marchia Brandenburgensis, Landgraviönatus Thuringiae, Marchia Misnensis, Marchia Lusatiae et Comitatus Ascaniae.* Solus inter hos principes Ascaniae Comes vexillo interueniente, ex singulari forte priuilegio, investitus, quae exceptio regulam a maioribus traditam plane confirmat, comitatus gladio potius, quam vexillo concessos traditosque fuisse. Gladium nempe,

ad pag. 202.



LXXX.



LXXXI.



LXXXII.



nempe, non autem haſtam cum volitante flammula, inſigne comitis fuiſſe conſtat. *) Neque vana de ſolo nomine, ſed maximi momenti haec quaeſtio. Cum enim, in Aureae Bullae capite quinto, vicariis imperii conceſſum ſit, mortuo imperatore beneficia vacantia concedere, et iusiurandum fidelitatis ab imperii vaſallis recipere, *feudis principum*, (vt verba habent) *duntaxat exceptis et illis, quae* VANLEHN *vulgariter appellantur, quorum inueſtituram et collationem ſoli imperatori vel regi Romanorum ſpecialiter maneant reſeruata*, dubium viſum: anne et comites a vicariis imperii inueſtiri poſſint, aut debeant? GRIBNER **) fieri poſſe affirmat, quoniam beneficia, quibus comites fruuntur, non ſint vexillaria. Huic, quidquid GVNDLINGIVS, FLEISCHER, KOPPIVS ***) aliique contra diſputent, ſubſcribimus, exceptis tamen marchionatibus, Burgraviatibus, Landgraviatibus et Palatinis comitatibus

*) Vide infra monument. 97.

**) Gribner de feudis vexilli in Ienichenii Theſauro Iuris F. vol. 3. p. 214. ſeq.

***) Koppius de inſigni different. Comit. p. 561.

bus, quae beneficia imperii vexillaria esse nemo dubitat. De his maioribus comitatibus capio locum Iuris Feodalis Sueuici *cap.* 142. *§.* 2. qui de Palatino imperii vicario loquitur: *Defuncto rege Romanorum - - - - omnes, qui feuda vexillaria ab Imperio habent, quibus non est annexa dignitas principis, illi a Comite Palatino inuestiturae renouationem impetrare debent.* Concedo igitur lubens ac largior, feuda vexillaria esse, quae ducatus non sint; comitatus autem minores dato vexillo concessos esse, nego. Licet enim vnus alterue comes minor, interdum ex singulari priuilegio, vexillo inuestitus fuerit, quae exempla non ignoro, tamen ex eo, quod rarius contingit, regulam formare quis audeat? At, inquis, in signis tamen et nummis ipsi vexilla tenent. Ecce in nummo bracteato, quem adiecta tabula num. LXXX. exhibet, atque SCHLEGEL in libello singulari illustrauit, COMES HENRICVS DE BLANCENBERG vexillum gerit. Sequitur BORCHARDI Mansfeldensis Comitis capite nudato equitantis effigies, cum clypeo et vexillo. Cui iungas sigillum numero LXXXIII. notatum, in quo ADELBERTVS VII. Comes Ballenstedensis, qui

ad pag. 204.


LXXXIII



LXXXIV

SIGILLVM GVILLELMI COMITIS FLANDRIE





qui feculo XI. vixit, eodem figno illuftris; et SIGILLVM GVILIELMI COMITIS FLANDRIAE, quod, vt fub numero LXXXIV. exhibemus, diplomati anno MCXXVII. fcripto appenfum eft. Neque tamen his monumentis moueor. Quid enim haec numifmata figillaue cum inueftitura commune habent? Vana eft atque inepta conclufio, fi ex eo, quod in bracteatis nummis comites vexilla in manu tenent, arguere velis, eos vexillo fuiffe inveftitos. Veriorem caufam exponamus, quare fe cum vexillis comites pingi curauerint. Scilicet ea in manibus tenent, non quia comites, fed quoniam domini liberi funt. Neque enim quemquam Caefares comitem faciebant, nifi diuitem, qui amplas poffideret, easque allodiales, ditiones, fiue, vt vno verbo dicam, dominos liberos. His autem cum ius effet fuos vafallos et reliquum fubditorum exercitum in aciem ducendi fub vexillo, illi etiam iure meritoque hoc figno vfi funt. Erat enim vexillum libertatis, fiue, fi hodierna verba magis placeant, fuperioritatis territorialis nota, qua vtebantur ii, qui fuas terras a nemine beneficiii loco accepiffent. Omnes ergo comites fimul liberi domi-

domini. *) Quae cum ita ſe habeant, facile aſſirmauerim, in monumento LXXXII. quod de charta anno Chriſti MCCXXXV. ſcripta pendet, GOTEFRIDVM vexillo exornatum, non quia erat comes Romaniolae, ſed quoniam liber erat dominus et dynaſta in Hohenlohe. Etiamſi vero concedamus comites, qua comites fuerunt, vexillis vſos eſſe, hoc tamen vel inde euenire potuit, quoniam in exercitu pedites ducebant. **) Sed quid opus eſt, me his intromittere, cum generaliter iam ſupra dictum ſit, puerilem eſſe concluſionem et fatuam, ſi quis comitum feoda vexillaria eſſe, inde probare velit, quia cum vexillis pinguntur. Anne credis, eos in nummis atque ſigillis inveſtituram ſuam deſcribere voluiſſe?

Finem dicendi facturus eram, niſi in Monumento LXXX. LXXXI. et LXXXIV. pedes comitum loris ab equo vtrinque pendentibus initi animaduerterem, quae *ſtapedes*, *biſtaphiae*, *ſtrepae*, *ſtapiae*, *aſtrabae*, et *ſtaſſae* dicebantur.

In

---

*) Kopp. de inſigni diff. comit. p. 13. et 36.

**) Piſtorii Controvers. inter Comites et Ordin. Equeſtr. quaeſt. 5. p. 35. ſeq.

In vetuſtis Romanorum, Graecorumue monumentis illae non magis, quam ferreae equorum ſoleae, obueniunt; neque XENOPHON in libro de re equeſtri earum mentionem facit. Mauros et Arabes puto haec commoda Hiſpanis primum monſtraſſe, a quibus deinde ad reliquas Europae gentes dimanarunt. In epiſtola ALEXANDRI III. pontificis maximi, *) qui ſeculo XII. ſedit, haec obueniunt: *Cum autem rex et archiepiscopus ſeceſſiſſent in partem, bisque deſcendiſſent, bis ſtapham rex tenuit archiepiſcopo.* Marmor Romae viſitur incertae aetatis, cui inſcriptum eſt: AMOR FVIT EQVO DVM ASPECTVI FORMOSISS. DVRMIONIAE PVELLAE VIRGVNCVLAE SVMMA POLVORIA PLACERE CVPEREM CASV DESILIENS PES HAESIT STAPIAE TRACTVS INTERII. Anne vero neſcis FRIDERICVM primum pontifici maxumo ſtapiam tenuiſſe? **) Haec igitur exempla ſatis atque abunde demonſtrant, iis temporibus, hanc

*) Apud Rodulphum de Diceto ad annum 1170.

**) Baronius ad annum. 1155. §. 8.

hanc equestrem suppellectilem jam vbique vsitatam fuisse. Grata vero in primis huius rei in legibus obueniens memoria. Nempe in Speculi Saxonici articulo primo haec leguntur: *Papae super equum candidum equitare constitutum est; cui in ascensu equi ab imperatore sella, ne decidat, tenebitur.* Hoc vasallorum inprimis officium erat, quo reuerentiam suam domino testabantur, sicuti ex capitulo sexto Iuris Feodalis Alemannici intelligimus, in quo scriptum: *Tenetur quoque vasallus domino suo honorem re et verbis exhibere et seruitia praestare; itaque assurgere ipsi debet, siue equitanti siue eunti, praecedentiam quoque eidem debet; sed et streugam tenere domino debet equum ascendenti; atque hoc semel in die fieri sufficit.* Praeterea ille VETVS AVCTOR *de beneficiis*, qui circa annum MCXXXVIII. vixisse creditur capite secundo, versu trigesimo et quarto, stapiam vocat *strepem.* Vox et Gallis et Germanis vsitata, cum et CANGIVS chartam afferat ex tabulario Tholosano, quae ita habet: *Et debet inde tale seruitium: Videlicet: quod semel tenebit vnicuique Abbati de Monte Albano adscendenti equum,*

cum

cum ab eo fuerit requiſitus, LE STREVB. poſtquam igitur FRIDERICVS Imperator ſemel talem cultum exhibuiſſet pontifici, hunc inde occaſionem arripuiſſe atque imperium Romanum ſuum beneficium, imperatorem vero clientem *) dicere ſuſtinuiſſe, non adeo mirandum.



MONV-

*) Vide ſupra Monument. 43.



MONVMENTVM LXXXV. ET LXXXVI.

Exagium Solidorum in Novella Theodosii.


Imperator THEODOSIVS et VALENTINIANVS in Novella, *) quae edictum ad populum vrbis Romae inscribitur, ita sanciunt: *Frequens ad nos, Quirites, temerarii ausus querela peruenit, vt in parentum nostrorum contumeliam, insigniti solidi eorum nominibus, ab omni tempore recusentur, quod diu impunitum esse non patimur. - - - - Aequabilitas etiam pretii et commodum venditoris et omnium rerum venalium statuta custodiet. De ponderibus quoque, vt fraus penitus amputetur, a nobis aguntur* EXAGIA, *quae sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri.* De ponderibus solidorum se

*) Novella Theodos. in Cod. Theodos. editio Gothofrediana Ritteri, Tom. 6, Parte 2, pag. 71.

ad pag. 210.

In Margine

PROBATI NVMISMATIS EXEMPLVM







se agere dicunt *exagium*. Hoc verbum, nouimus, idem quod examen esse. Igitur exagium solidorum pondus videtur lege definitum, ad quod exigi debent solidi. Hac nouella breuissimis exposita, iam ad monumentum LXXXVI. deuenimus, in cuius anteriori facie caput imperatoris fulget, inscriptis verbis: DN. HONORIVS AVG*ustus*; altera Deam Monetam cum libra et amaltheo cornu exhibet. Facile autem patet ratio, quare vna tantum Moneta hic appareat, cum in caeteris nummis tres *) pingantur. Nempe tantum de aurea moneta et solidorum exagio nummus loquitur, non de aereis nummis aut argenteis. Caeterum siue SOLIDorum siue SOLIDi exagium legas, perinde est, licet posterius praestet, quoniam simillimus apud BANDVRIVM **) eiusdem HONORII nummus inscriptionem habet: EXAGIVM SOLIDI.

Magis intricata et difficilior quaestio: quare haec in primis verba nummo inscripta sint? Putabam

*) Vide Monument. 90.

**) Bandur. Numismat. Imperat. Rom. Tom. 2. pag. 539. numisma ibi vltimum.

tabam equidem HONORIVM aureos nummos flari iussisse, ad quos, tanquam ad regulam, pondus et interna qualitas reliquorum solidorum exigi debuerit. Canon igitur solidorum hic solidus mihi videbatur et legitimum solidorum pondus caeterorum. Iuvabant hanc coniecturam loca veterum auctorum,*) in quibus exagium pro ipso solido vsurpatum, et ex quibus plane manifestum est, solo nomine ab exagio differre solidum. Praeterea cum mihi in manus veniret HENRICI II. Galliae regis argenteus nummus, cuius externo margini inscriptum erat: PROBATI NVMISMATIS EXEMPLVM, memor ego, nihil hodie fieri, quod non sit factum prius, plane opinabar me coniecisse verissima. Sed scrupulum injicit idem, quem antea laudaui, BANDVRIVS, qui eum nummum, duobus in locis, aereum dicit, non aureum. Si vera narrat, illico in fumum omnia, quae conceperam, abeunt, neque aliam viam superesse video, nisi vt ex numero numismatum hoc monumentum eximamus

et

*) Apud du Fresne de inferioris aevi Numismat. num. 77.

et pondus dicamus esse, non denarium; aut etiam, si nummus sit, perhibeamus in eo tantum legis de exagio solidorum a se perlatae memoriam conseruare HONORIVM voluisse. Videant, quibus hunc rarissimum nummum cernere continget, aereusne sit, vt vult BANDVRIVS? an vero, vt ego conjicio, aureus? Neque enim ego vidi.

Remoratur nos paucis adhuc illud HENRICI II. vt inscriptum est, probati numismatis exemplum, cuius in litteris aberratum esse, plane manifestum. Ecce enim: HENRICVS II. D. G. FRANC. et NAVA. REX 1507. Hoc anno Henricus Secundus nondum natus, nec Navarra Franciae juncta erat. Horrendus sane gryphus atque portentum ingens! quis tantum aenigma solvet? *)

MONV-

*) Vide similia in Monuments. 40. 41. et 42.

MONVMENTVM LXXXVII.

Legitimatio per Pallium et per Oblationem curiae coelesti, siue monasterio, factam.

Altorfinus ille non leuis existimationis professor, * CHRISTIANVS GOTTL. SCHWARZIVS, in sua bibliotheca quondam codicem Nouellarum manuscriptum asseruabat, in quo ad nouellam LXXIV. vetus manus picturam praesentem adiecerat. Non ignorabat SCHWARZIVS veterem ecclesiae ritum, quo pallium seu cortina altaris super nouos coniuges, dum benedictionem sacerdos perageret, extendebatur, inprimis vero, si antea sibi natos liberos naturales legitimare vellent, hi quoque eodem altaris pallio vna cum parentibus cooperiebantur, quod ipse ex CANGIO probat, qui in glossario sub verbo *Pallae* testimonia auctorum varia

LXXXVII. ad p. 214.





varia protulit, quale eſt GVILELMI CALCVLI, Gemmetenſis monachi, ita ſcribentis: *Hac itaque de cauſa comes Richardus Gunnorem comitiſſam more chriſtiano ſibi copulauit, filiique, qui iam ex ea nati erant, interim dum ſponſalia agerentur, cum patre et matre pallio cooperti ſunt.* Haec aliaque huius generis teſtimonia SCHWARZIVS *) de pallio altaris accipit, atque ob eam cauſam liberos per ſecutum matrimonium legitimatos Germanis dici putat *Mantel Kinder.* Etiamſi enim iurisperiti exiſtimauerint, propterea ita dictos fuiſſe, quod inter ſacra nuptiarum apprehenderint patris pallium, aut etiam ſub matris veſte latuerint, tamen praefracte SCHWARZIVS hanc conſuetudinem negat atque doctores erroris arguit, qui ſibi fabulis facile imponi patiantur. Haec illos loqui, ait, ſine fide et vllo claro et indubitato teſtimonio. MONACHVM ISENACENSEM, inter Scriptores Rerum Germanicarum a Menkenio editum, fatetur quidem hoc de APICIO narrare: *Als Landgrafe Albrecht*

*) Chriſtiani Gottl. Schwarzii diſp. de antiquo ritu legitimandi liberos illegitimos per pallium, Altorfi, 1747.

brecht sinen Son Opez, den her von Cunnen von Isenberg yrkregin hatte und ime seyne eliche Wertinne, Frowen Margarete, czu Franckinford gestorben waz, do liez her eme dyselbin Cunnen czu Wartberg czu der ee gebin, unde dy HATTE DEN KEBIS SON DY WILE VNDIR ERME MANTEL, *uff daz her eynen elichen Namen erkrigen möchte*, haec, inquam, tametsi non neget, tamen monachum, qui ducentos et quinquaginta post eam rem gestam scripserit, vix fidem mereri arbitratur. Quid autem? nonne hoc saltim locus laudatus probat, eo tempore, quo monachus haec scripsit, in vsu fuisse, vt matres liberos suos antea genitos in sacris nuptiarum sub pallio tenuerint? Praeterea cum in curia clientelari, simul inuestiendi pallium protovasalli arripuisse notum sit, vt participes fierent condomini', non adeo absonum, si eundem morem etiam in liberis legitimandis obtinuisse iuris periti existiment. In Ceremoniali CENCII CAMERARII de inauguratione Caesaris haec leguntur: *Tunc surgens dominus Papa ter quaerit ab eo* (Caesare) *si vult esse filius ecclesiae? quo ter respondente: Volo, dominus Papa dicit: Et ego te recipio vt filium ecclesiae, et mittit eum sub*

MAN-

MANTO *et ille osculatur pectus domini Papae*, ex quo loco apparet, hunc quasi adoptionis ritum fuisse. Plura exempla adducit CANGIVS in Glossario sub titulo Pallium atque inter illa GVIBERTI locum, qui libro tertio de Gestis Dei, capite decimo et tertio ita scribit: *Adoptionis autem talis, pro gentis consuetudine, dicitur fuisse modus. Intra lineam interulam, quam nos vocamus camisiam, nudum intrare eum faciens, sibi adstrinxit: et haec omnia osculo libato firmauit. Idem et mulier postmodum fecit.* Ob haec exempla, etiamsi concedamus SCHWARZIO, legitimationem per pallium seu cortinam altaris frequentiorem fuisse altera per pallium et vestem parentum, tamen meras fabulas iuris doctores tradidisse, non ausim affirmare.

Sed picturam accedamus, in qua pallium altaris expanditur super liberos naturales. Ante altare cortina denudatum sacerdos, laena missali amictus, sacra peragit. Duo clerici duobus infantibus velum altaris super caput extendunt, post hos sponsus, sine serto tamen, et sponsa velato capite, ob omissum virginitatis honorem. Assidet comes cum gladio, siue alius iudex, vt etiam vim iuris ciuilem haec legitimatio consequatur.

 Inferior

Inferior picturae pars exhibet legitimationem per oblationem curiae coelesti factam. Detonso iam puero cucullum induit sacerdos, altero monacho vestes profanas, quas ille exuit, foras deportante. Ante monasterii ianuam duo monachi, vt dubium non sit, ingressum filii cuiusdam naturalis in monasterium his signis denotari. An haec legitimatio unquam apud Germanos invaluerit, nescio. In Gallia atque Hispania illa vsitatior, vt Codex ille Nouellarum mihi in alterutro regno scriptus esse videatur. Ritum ipse SCHWARZIVS descripsit, adductis potissimum BARBOSAE et CHASSANAEI auctoritatibus, quorum ille: *Sicut filius legitimatus per oblationem curiae: ita per ingressum monasterii, vbi quis offertur seruitio Christi, debet etiam legitimari, vt possit habere bona patris.* Hic vero in Consuetudinibus Burgundiae, ad titulum *de successione Bastardorum*, haec commentatur: *Sicut per oblationem curiae temporali: ita etiam per oblationem curiae spirituali et ecclesiasticae legitimatur bastardus, cum etiam spurius per ingressum religionis efficiatur legitimus.*

MONV-

ad pag. 219.



LXXXVIII.

LXXXIX.


XC.


MONVMENTVM LXXXVIII. LXXXIX. ET XC.

Aequitas a Iuſtitia diſtincta.

Non ſolum, quae mente concipitur, aequitatis informatio a notione iuſtitiae diuerſa, verum etiam Numen IVSTITIAE aliud, quam AEQVITATIS. Nempe vtriusque Deae diuerſa ſimulacra. Sedet illa, haec ſtans in nummis apparet. Rectam et ſtabilem IVSTITIA regulam, *) AEQVITAS libram mobilem tenet.

Vt autem haec coniunctiſſima atque ſimillima numina diuerſo habitu formantur; ita e contrario, quod obſeruatu dignum et memorabile viſum, forma deae MONETAE et AEQVITATIS ſimillima, quia in moneta ſumma debet eſſe

*) vid. Monum. I.

esse aequitas. Hoc ex adiecta tabula cognoscetis, in qua monumentum LXXXVIII. et LXXXIX. AEQVITATIS, monumentum vero XC. MONETAE formas exhibet. Nempe vt Gratiae et Furiae, ita etiam MONETAE semper fere tres in nummis iunguntur. Quare? Non aliam ob rationem, vt ego quidem sentio, quam quia Romae tres fuerunt, nimirum aurei, argentei et aerei numismatis officinae. Hinc etiam tres magistratus monetae praefuerunt. Quis enim Triumviros auri, argenti, aeris, flandi ac feriundi ignorat? Plane eo modo, quo AEQVITAS cum libra et cornu copiae apparet, eodem MONETAE non solum libram tenent, verum etiam illud Amaltheae caprae diues et celeberrimum cornu, vt plane ignorem, qua nota vnam ab altera discernere debeam, et nisi adscripta sint nomina, facile vtrumque numen confundam. Huius deae credo mentionem fieri ab ARNOBIO *) et AVGVSTINO, **) qui eam deam PECVNIAM vocant. Neque tamen aedem et altaria habuisse,

*) Arnob. lib. 4. aduers. gentes.

**) Augustinus lib. 4. de ciuit. dei cap. 21. et 24.

habuisse, sed tantum in nummis videtur consecrata, cum IVVENALIS *) dicat:

. . . . . . *funesta Pecunia templo*
Nondum habitas, nullas nummorum erreximus aras.

Quamquam enim IVNONIS MONETAE templum fuerit, nihil tamen hoc cognomen cum nummis commune habet, cum IVNO a monendo ita dicta fuerit. Quas in postremo monumento ad pedes dearum iacere vides, aeris, argenti et auri inconditas moleculas puto, ex quibus pecunia conflatur. Haec de forma dearum.

Si autem, haec aequitatis notio mente informata, quo modo a iustitia, siue illa constante et perpetua voluntate ius suum cuique tribuendi, discrepet? quaeras, vix habeo quod respondere debeam, adeo illa res intricata et perdifficilis. Diuersas esse, dubium nemini, cum et Glossa **) dicat: *Aliquando est ius, quod non est aequum*, contra vero *esse aliquod Aequum sed prohibitum iure*, QVINTILIANVS profiteatur. ***)

Licet

*) Iuuenalis Sat. I. v. 113.
**) Glossa ad can. I. dist. I.
***) Quintiliani Instit. lib. 3. cap. 6.

Licet ergo haec non eadem esse omnes consentiant; tamen apta definitione aequitatem circumscribere cupienti vix vlla res videbitur magis ardua et intricatior, cum illud aequum sensu potius, quam ratione cognoscatur. Dicam tamen, quo meliore modo possum, et quantum sese res tam perplexa describere patitur. Nempe cum leges, vt VLPIANVS loquitur, non in singulas caussas, sed generaliter constituantur, fieri aliter non potest, quin, quod generatim iustum est, in quibusdam facti speciebus, ob varias temporis, personarum, locorumque diuersitates, iniqvum videatur. Aequitas ergo circa singularia, ius circa vniuersalia versari atque inde euenire, vt summum ius summa interdum videatur iniuria. CICERO aequitatem *laxamentum legis*, ARISTOTELES vero dicit: *ius legi non congruum*. Si ius ciuile nullum omnino foret, neque sane haberemus aliam aequitatis, aliam iustitiae informationem. Nempe iure naturali inter vtramque nulla differentia, cum aequitas non alia sit, nisi ipsa iuris naturalis sanctio. Solum ergo ius ciuile aequitatis notionem peperit. Nimirum, quoties ius scriptum a naturali discrepat, si, quod iure ciuili exigere possis,

non

non exigas, aeqvus merito dicaris. Nemo enim ignorat, ius ciuile ſaepius cum naturali confligere, neque illud huic in omnibus inſeruire. *L.* 6. *ff. de iuſt. et iur.* In hac legum colliſione qui regulas naturales potius ſequitur et ciuilibus praefert, ſiue, vt clarius dicam, qui, quod ius ſcriptum forte tribuerit, liberaliter remittit, hic demum vir bonus et aeqvus.

MONV-



MONVMENTVM XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCV. ET XCVI.

Roma reges pronuntiat.

Quam fibi, medio in aevo, Pontifices chriftiani arrogarunt poteftatem, ex ducibus aliisque populorum rectoribus Reges creandi, illa in vetuftis feculis Senatus atque Populi Romani fuit, qui, facto, de ea re fenatus confulto, coronas bene meritis fociorum ducibus affignarunt. Poftea imperatores, in quos lege regia populi majeftas translata erat, eadem aufi. Quod autem fummos chriftianorum pontifices attinet, vt regibus titulos dederunt, alios chriftianiffimos, alios defenfores fidei, alios catholicos falutantes, eodem modo illi, quis regum alterum praecedere debeat, conftituerunt. Erat autem, vt PETRVS IOSEPHVS CANTEL *) ex

*) Cantelius in Hiftoria Metropolitanarum vrbium P. 2. p. 134.

ad pag 224.

XCI.





XCII.

XCIII.





XCIV.

XCV.





XCVI.

ex Iulii II. epiſtola refert, ſedendi in conciliis vniuerſalibus hic ordo praeſcriptus: *Primus Imperator, ſecundus Francorum rex; hos excipiebant reges Caſtellae, Arragoniae, Luſitaniae, quibus parem ſibi honorem tribuebat Angliae rex: deinde Siciliae rex, qui Luſitano: Scotiae, qui Hungaro ſuperiorem ſe praedicabat. Denique caeteri reges Navarrae, Bohemiae, Poloniae, Daniae regibus vt dignitate, ita loci honore proximi erant Duces, e quibus agmen ducebat Dux Britanniae, tum Burgundiae, Bavariae Comes Palatinus, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgenſis, Duces Auſtriae, Sabaudiae, Mediolani, Venetiarum, Lotharingiae, Borbonius, Aurelianenſis, Genuenſis et Ferrarienſis.* Solis autem pontificibus ius eſſe reges nominandi, palam profeſſi, quemadmodum vel ex documento ſuperius adducto *) apparet, in quo Pontifex et Imperator depictus, adſcriptis verbis:

Rex ego ſum regum, lex eſt mea maxima legum;
Te facio regem, tu rectam dilige legem.

Nam

*) Monumentum 43.

Nam poſtquam ſemel ſe Phoebo pontifex, imperatorem vero lunae, *) quae non ſuis, ſed commodatis a ſole radiis corruſcat, comparaſſet, ex eo iuris pontificii interpretes ſuo more facile deduxerunt, pontifici ius eſſe, quos vellet, reges appellandi, quemadmodum in conſtitutione Extravante *Vnam ſanctam* **) BONIFACIVS OCTAVVS his verbis profitetur: *Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet et iudicare, ſi bona non fuerit.* Itaque Roma ſemper coronarum diſpenſatrix. Nam, vt ad priſca tempora redeamus, reges populorum dubiae dignitatis, ſi a populo Romano reges eſſent appellati, iam ab omnibus agnoſcebantur. ***) Sic ARIOVISTVS Germanorum, ſuperiores Rheni partes inhabitantium, princeps a Romanis rex dictus eſt, vt DIO ****) his verbis refert:

---

*) Cap. 6. X. de major. et obed.

**) Extrav. Commun. lib. I. tit. 8. de major. et obed. *in fine.*

***) Polyb. Excerpt. Legat. num. XXII.

****) Dio Caſſius XXXVIII. p. 81. plura vide in litteratiſſimi huius ciuitatis ſenatoris ac aedilis, quo inter coaetaneos non alium cariorem habeo, CHR. GVIL KÜSTNERI diſp. de iure appellandi reges apud Romanos.

refert: *Germanis illis* ARIOVISTVS *imperabat, cuius regnum Romani confirmarunt, ipsumque Caesar in consulatu suo inter amicos sociosque Romanorum adscripserat.* Quae res cum satis pervulgata sit ac nota omnibus, ei non diutius inhaerere, sed nummos in medio positos breuiter illustrare placet. In Monumento XCI. Germanico Quadorum populo rex ab ANTONINO PIO confirmatur. Qui sequuntur tres nummi, TRAIANI sunt, ab EZECHIELE SPANHEMIO aliisque publicati. Sedet in sella curuli imperator suggestu elatiore facta, a tergo praefectus praetorio, quem gladius prodit, quo cinctus est. Nota est TRAIANI vox gladium praefecto praetorio tradentis, vt contra se quoque ille, si male imperet, vteretur.*) In Monumento XCVI. barbarus supplex sibi regem exposcit. In Nonagesimo et secundo adsunt tres signiferi cum duobus togatis. Iam numisma vides imperatoris SEVERI inscriptum: TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. in quo Armeniis regem

*) Plin. Panegyr. cap. 67.

regem dat. Illustrant hoc monumentum CAPITOLINI verba: *Confecto sane bello regna regibus, prouincias vero comitibus suis regendas dedit.* Postremus iterum TRAIANI est, in quo stantem ante tribunal regem diademate insignem Parthus geniculatus accipit. Erat autem sociorum populi Romani deuictorumque populorum duplex conditio. Quidam nimirum semel tantum regem accipiebant, qui deinde regnum ad posteros transmitteret. Aliis vero novus quisque rex ab imperatoribus stabiliendus erat. Sic ADHERBAL apud SALVSTIVM: *) *Micipsa pater meus moriens praecepit, vt regnum Numidiae tantummodo procuratione existimarem meum, caeterum ius et imperium penes vos esse.* Eadem in conditione Armenii, de quibus FLORVS: **) *Armenios, victo rege Tigrane, in hoc vnum seruitutis genus Pompeius adsueverat, vt rectores a nobis acciperent.* De Quadis, cum eorum conditionem primus, ex propositis, nummus exhibeat,

*) Saluft. Iugurth. c. 14.

**) Florus lib. 4.

hibeat, IVLII CAPITOLINI *) verba addimus: *Quadi autem amisso rege suo, non prius confirmaturos eum, qui creatus erat, dicebant, quam si nostris placuisset imperatoribus.*

MONV-

*) Capitolin. in M. Anton. Imp. cap. 14.

MONVMENTVM XCVII.

Colossi jurisdictionis in Germania indices. Gladius insigne comitum.

Gigantes, imo res quaslibet solito maiores, Germani veteres *Rolandos* dixere, vt versus apud GOTFRIDVM VITERBIENSEM:

Mons ibi est magnus, qui dicitur esse Rolandus,

innuit. Mira igitur, ne inepta dicam, verbi notatio, qua GOLDASTVS ligneos hosce lapideosue colossos, iurisdictionis certissimos atque verissimos indices, quales adhuc hodie Quedlimburgi, Bremae, Halae, Magdeburgi, Brunsvigae, Halberstadii, Northusii, Brandenburgi, Göttingae, Neustadii ad Rhenum, Servestae, Stadbergae et Hallenslebae visuntur, a *rügen*, quod accusare denotat, quasi *Rugeland* dictos fuisse

ad pag. 230.



XCVII.





fuiſſe, arbitratur. Non alius enim *Rolandus*, niſi coloſſus eſt. Cum autem inter ſignum atque ſignatum quaedam, vt plurimum, ſimilitudo intercedere ſoleat, ſi ex me quaeras, quam ob cauſam ſtatua gladio et clypeo armata indicium banni regii ſiue iurisdictionis ſuperioris habeatur? reſpondeo: non imperatoris, ſed comitis, hanc formam videri, vt vel gladius ſignificat conſtans ac perpetua comitis nota. Solus nempe quondam in Germania ius per comites aduocatosque ſuos dicebat imperator, *) quem gloſſa iuris municipalis Saxonici **) fontem et originem dicit omnis in Germania iurisdictionis: *Richter und Graven haben ihren Vrſprung und Gewalt von dem König*. Haec ſi vera ſunt, vt ſunt notiſſima, nonne credibile eſt, hoc ſignum ciues, ſi vrbi imperator iura comitis ſiue iurisdictionem ſuperiorem conceſſiſſet, in foro ſuo collocaſſe, quaſi ligneam comitis imaginem, vt poteſtatis ſiue iurisdictionis adquiſitae documentum eſſet. Nam cum lapidi inciſae comitum ima-

*) Ius Feod. Alem. cap. 42. edit. Schilter, Spec. Sax. lib. 3. art. 60. Weichbild. art. 8.

*) Gloſſa ad Weichbild, art. 59.

imagines, quales multae in templis atque facellis obueniunt, femper gladium habeant, non dubitauerim, vt imperatoris fceptrum, vt ducis vexillum, ita gladium fignum et notam comitis putare. *) Neque folum in figillis **) atque in nummis comitum gladius obuenit, fed chartae etiam veteres eum loqvuntur, quarum vna ***) ab HENRICO V. Angliae rege fcripta comitatum Longaevillae Guaftoni tribuit his verbis: *Et eidem Guafton honorem comitis dedimus, ac ipfum in comitatum de Langeville praeficimus, nec non de iisdem nomine et honore per cincturam* GLADII *eundem Guafton inueftimus.* Praeterea in alterius cuiusdam comitis inaugaratione fit mentio gladii apud SELDENVM: *Eundem etiam Dominum Aluarum - - - in comitem d'Avarans in ducatu noftro Normanniae creauimus ac praefecimus, ac de iisdem honore et titulo per cincturam gladii inueftientes, effectualiter infigniuimus.* Cur autem Anglorum exem-

*) Heineccius de figillis P. 1. cap. 10. num. 20. pag. 124.

**) Glaffey Decas Sigillorum p. 74. Harenberg Hiftor. Gandersh. diplom. tab. 1. num. 2.

***) Seldenus tituli honorum P. 2. c. 3. §. 15.

exemplis non vtamur, ad demonſtrandas Germaniae conſuetudines, cum Saxones ipſi fuerint? *Die coronationis*, inquit HOVEDENVS, *Iohannes rex accinxit Wilhelmum mariscalcum gladio Comitatus de Striguil; et Galfredum filium Petri gladio Comitatus de Eſſex; qui licet antea vocati eſſent comites et adminiſtrationem ſuorum comitatuum habuiſſent, tamen non erant accincti* GLADIO COMITATVS. *Et ipſi illa die ſeruierunt ad menſam regis, accincti gladiis.* Ratio autem quam propter enſe potiſſimum comites exornarentur, non abſcondita, quia nempe ius gladii, ſeu mixtum imperium et bannum ſanguinis habebant.*) *Weichb. art.* 8. *L.* 3. *ff. de iurisd.* Neque verſus apud GOTTFRIDVM VITERBIENSEM praetereundus:

Iudicii ſignum gladius monſtrare videtur;
Quo malefactorum feritas ceſſare iubetur.

Haec de comitibus, nunc ad Rolandos reuertor. Celeberrimus inter omnes Bremenſis, cuius in hono-

*) Ockel de Palatio ſeu Scabinatu Halenſi theſ. 39. Gryphiander de Weichbildis Sax. cap. 75.

honorem praeſens numisma cuſum. Hac imagine ciues, ad libertatem ſuam demonſtrandam, quondam vſi contra episcopum, quaſi coloſſus eam eſſe imperii, non prouincialem, vrbem oſtenderet. Licet autem Bremenſes clypeo Rolandi ſui hos verſus inſcripſerint:

Frieheidt do ik Iuw openbahren
De Coning Carl und mannig Forſt vorwahr
Dieſser Stadt gegeven hat.
Deſs dancket Gott iſt mein Rhadt,

aliaque in curia huius ciuitatis inſcriptio hanc Rolandi ſignificationem mentiatur:

Wente der Stadt iſt gegeven des Rolandes Bilde,
Tho einen Teken der Freyheit unte des Rikes
Schilde:

tamen haec traditio, quaſi libertatis Rolandus ſignum eſſet, iam dudum inter falſas relata et a multis, nuperrime a KÖHLERO, *) ſatis et ex profeſſo refutata. Nam multae Germaniae vrbes tales ſtatuas in foro poſitas habent, quae ducibus, epiſcopis, comitibusve ſubiectae ſunt; contra

*) Köhler Münz Beluſtig. Part. 10. pag. 145.

contra vero immediatae ciuitates plurimae eas non habent, vt manifestum sit, hoc argumento Bremam aliasque ciuitates, ad libertatem suam demonstrandam, perperam vsas esse. Mitto Bremensem colossum, vt de Göttingensi, qui non, vt caeteri sui similes, in foro et curia, sed in templo habitat, ex GRYPHIANDRI de Weichbildis libello, triste dicamne an ioculare? quo caput ei reuulsum est fatum, referre liceat. Nempe eo tempore, quo Göttingenses, plebe tumultuante, diuorum imagines frangerent, habitaculum Rolandi templum, quod hominibus saepe refugium ac tutela, ei fere exitium fuit. Cum enim ex plebe quidam furibundus eam sancti herois imaginem putaret, illico in eam securi animaduertit, ligneumque caput saeuo ac terribili ictu deturbauit. Admonitus autem a veterano ciue, se priuilegiorum Göttingensium indici ac documento sceleratas manus intulisse, re comperta facile patiebatur, vt a caeteris, qui aderant sociis Rolandus, post tantam capitis deminutionem, restitueretur in integrum et, capite humeris reddito vulneribusque vtcunque religatis, in priorem statum et capsam reponeretur.

MONV-

MONVMENTVM XCVIII.

Traditio fundi ſymbolica per ſurculum.

Ritus traditionis per ramum arboris in iure Germanico notior, quam vt eum copioſius deſcribere opus ſit, inprimis cum GERKENSIVS *) de eo peculiarem diſſertationem ſcripſerit. In pictura, quam oculis ſubiicimus, fundus vendendus deſignatus eſt per graminula, quibus duo homines inſiſtunt, neque tamen mihi videtur ſatis expeditum, quis adquirens, quisve alienans ſit? Venditor fundi ille forſitan, qui propius iudicem mitella deſignatum conſtitutus, emtor vero is videri poſſit, qui ſua manu comprehendit alterius ſimul inueſtiendi manum. Nam communis manus ſiue ſimultanea inueſtitura quam clientelarem ſubſtitutionem dicere poſſis, vni poſſeſſione data, caeteros commanuarios in-

ſpem

*) Gerken Fragmenta Marchica Pars I, p. 161.

ad pag. 236.

XCVIII.

ſpem ſucceſſionis vocat atque in Saxonia admodum frequens eſt. GRVPENIVS e contrario eum, qui manum tenet, abalienantem putat, alterum vero, cuius manus capta eſt, nec non poſt hunc collocatum venditoris heredes eſſe, propterea, quod bona immobilia, auita nempe, ſine heredum conſenſu in alium transferre non licebat, vt ex Speculo Saxonico *) ſatis cuique cognitum. Hinc heredum venditoris in diplomatibus frequens occurſus. Fidem inprimis conciliare ſtudet ſuae opinioni ex veteri charta, in qua ſcriptum inuenit: *Quicquid proprietatis ad ipſum pertinere ad Erchanſritam viderentur, propriis manibus ipſa Erchanſrit et fratri* (fratre) *ſuo Pilgrimo* MANVS SVAS INIACENTE - - - *in manus venerabilis viri Hittonis Epiſcopi communiter tradiderunt.* Ramus autem pro fundo eſt, quae nec Romani ſymbola ignorarunt, ſi quidem apud hos poſſeſſio apprehendebatur et amiſſa recuperabatur ſurculo defracto, neque tamen clam, ſed, vt RAEVARDVS **) docet, hoc

---

*) Ius Prou. Sax. lib. I. art. 52.


**) Raevard. de Auct. Prud. cap. 9.

hoc modo: vt aduerſario vſurpaturus certum conſtitueret diem, quo in rem praeſentem veniretur, et tunc praeſente aduerſario, a comitantibus amicis ille moribus in fundum duceretur, indeque ſolemnibus verbis cedere aduerſarium et vacuam relinquere poſſeſſionem iuberet ſurculumque defringeret, hoc facto autem de fundo rurſus per amicos domum deduceretur. Defracti ſurculi mentionem in libro tertio de oratore vnicus CICERO facit: *Etiam hac inſtituendo diuiſione vtuntur, ſed ita: vt non iure aut iudicio aut denique recuperare amiſſam poſſeſſionem, ſed vt ex iure ciuili* SVRCVLO DEFRINGENDO *vſurpare videantur.*

MONV-

ad p. 238.



XCIX.

MONVMENTVM XCIX. C. CI. ET CII.

De Officio Cenſorum.

SERVIVM TVLLIVM cenſum inſtituiſſe monumentum XCIX. indicat. Nam in antica eum diademate ornatum M. TVLLIVS MARCI FILIVS DECVLA ſignauit, quia Tullia gens ab hoc priſco rege ortum deducebat, ſi vera poeta *) canit:

Tullius aeratas raptabat in agmine turmas,
Regia progenies et Tullo ſanguis ab alto.

Auerſa transuectionem equitum ſiſtit. Sed melius eam et luculentius nummus numero CII. notatus exhibet, qui quidem CLAVDII imperatoris eſt, vt altera eius area teſtatur, breuitatis cauſa omiſſa, in qua verba: TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IM. PP. Non poſſum autem hoc poſterius monumentum

*) Silius Ital. lib. 8.

mentum clarius interpretari, quam ſi locum PLVTARCHI *) adſcribam: *Ad Cenſores,* inquit, CVRVLI *inſidentes in* FORO *dignitate ornatuque inſignes* SINGVLI *equites equum ſuum manu adducebunt.* Nempe ſi cenſorem appropinquaſſent, deſcendebant. Transvectionis huius etiam VLPIANVS in *L. 2. ff. de in ius voc.* his verbis memor: *In ius vocari non oportet eum, qui equo publico, in cauſa publica, transuehatur.* Hoc priuilegium haud dubie AVGVSTO debebant equites, ſiquidem de eo SVETONIVS: **) *Auguſtus equitum turmas frequenter recognouit, poſt longam intercapedinem reducto more transvectionis. Sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accuſatore paſſus eſt, quod fieri ſolebat.* Tranſibant autem equites ab aede Honoris in Capitolium, vnde elegans RAEVARDI coniectura, qui negat ſibi liquere, quid verba ſuperius laudata *in cauſa publica* ſignificent? Ait nempe VLPIANVS: *qui equo publico in Cauſa Publica transvebitur.*


Con-

*) Plutarch. in Pompejo.

**) Sueton. In Aug. cap. 38.

ad pag. 240.

C.





CI.



C II.





Conjicit ille igitur, TRIBONIANVM ſiglas veteres confudiſſe, et cum inuenerit in Vlpiani libris: *Qui equo publico in* CAP. *transuehitur*, putaſſe ſcriptum fuiſſe in Cauſa Publica, cum tamen legendum ſit: *in Capitolium*. Non neceſſaria quidem, ſed docta haec RAEVARDI coniectura, quia ex VALERII PROBI aliorumque Notis intelligimus, litteras CAP. et Capitolium et Cauſam Publicam ſignificare.

Sed mittamus equitum transuectionem et ad VITELLII nummum oculos animumque conuertamus. Sedet is in ſella curuli, adſidente collega. Ciues tres patrimonium aetatem, et liberorum ſeruorumque numerum jurato *) profitentur. *L.* 4. *ſ.* 5. *ff. de cenſib.* Aetatem inquam, quod edere annos dicebant, vnde OVIDIVS **) puellas vt, dum floreant, ament, ita adhortatur:

Dum licet et veros etiam nunc editis annos,
Ludite, eunt anni more fluentis aquae.

quem

*) Liuius lib. 43. cap. 14. Dionys. Halic. lib. 4. p. 221.
**) Ovid. de arte amandi lib. 3. v. 61.

quem locum HEINSIVS non intellexit. Idem OVIDIVS alio loco, vetulam ne quis de aetate interroget, his verbis vetat:

Nec quotus annus eat, nec quo sit nata, require,
Consule? quae rigidus munera Censor habet.

Haec adjicienda putaui, vt *Legem* 3. *ff. de censib.* melius intelligamus, in qua scriptum est: *Aetatem in censendo significare necesse est.*

Quaeso autem, ne in hoc nummo ipsum imperatorem VITELLIVM censum agere et lustrum condere, mireris. Nam vt omnia magistratuum munera CAESAR, AVGVSTVS, TIBERIVS, caeterique ad sese imperatores traxerant, ita etiam morum praefecturam, vt, quos vellent, in senatum legere, aut, si cui minus fauerent, ei equum adimere possent. De IVLIO CAESARE id palam pronuntiat SVETONIVS:*) *Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum consulatum, praefecturamque morum.* Imitati eum CLAVDIVS, VESPASIANVS, DOMITIANVS et noster etiam VITELLIVS, qui inter caeteros honores

*) Sueton, Iul. Caes. cap. 76.

res Cenſoris quoque munere functus eſt. In orbe huius centeſimi Monumenti circumſcripta verba: Vitellius Cenſor iterum, ſatis declarant, eum iam antea cenſuram egiſſe, nempe cum CLAVDIO Imperatore, anno vrbis DCCC. cuius cenſurae memoriam ille ſuperior nummus conſervavit.

Quod ſequitur monumentum CI. togatos duos pro roſtris ſedentes cum exhibeat, in mentem mihi venit, annon cenſores illi videri poſſint? Bini nempe cenſores pariter, vt duo conſules, fuerunt. *) Sedebant etiam cenſores in foro, **) in quo roſtra fuerunt. Sed cum plerique doctorum hominum conſules hiſce togatis ſignificari putent, nihil definio, atque tantummodo roſtrorum, quorum in *L.* 2. *§.* 4. *ff. de orig. jur.* mentio fit, memorabilem formam ſpectatoribus de meliori commendo.

MONV-

*) Livius lib. 25. c. 13. Cicero de legib. lib. 3.

**) Dionyſ. Halic. lib. 4. p. 221.

MONVMENTVM CIII. CIV. ET CV.

Veſtigalia remiſſa et de Curſu Publico.

Cum ſuperius *) HADRIANI, in reliquis abolendis, liberalitatem laudauerimus, aeqvum videtur, vt caeterorum principum largitiones in nummis memoratas, eadem pietate recolamus. Obuenit primo Iudaicus Fiſcus. Iudaei ſcilicet, poſt metropolin euerſam, in Italia caeteriſque Romanorum prouinciis diſperſi quotannis tributum ſoluere cogebantur, inſtituto peculiari Fisco Iudaico, cuius aduocati etiam Chriſtianos alioſque, qui Iudaei non eſſent, ei obnoxios faciebant. Ita enim SVETO-

NIVS

*) Monument. 51.

ad pag. 244.





CIII.



CIV.



CV.



NIVS: *) *Ad Iudaicum Fiscum deferebantur, qui vel improfeſſi Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel diſſimulata origine, impoſita genti tributa non pependiſſent.* Secundum ea non dubito, quin etiam Chriſtiani, ante NERVAE Imperatoris tempora haec tributa ſoluere coacti fuerint, cum ſatis notum ſit, initio Chriſtianos a Iudaeis diſtinctos non fuiſſe. **) Hanc calumniam fisci aduocatorum Iudaeos aſſerentium, qui tales non eſſent, repreſſit NERVA in monumento CIII. palma, qua Iudaea notabatur, ſignato. Inſcriptum eſt: FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. Duriusculum verbum calumnia, ſed in eadem cauſa obueniens in *L. 3 C. de aduoc. fisc.* vbi fisci patronis imperatur, vt ſibi caueant, ne fiscalia commoda occultent, neue etiam, *nullo negotio exiſtente, fisci nomine priuatis audeant* CALVMNIAS *commouere.*

Sequi-

*) Sueton. in Domit. c. 12.

**) Noſtra Litteratura Iuris pag. 91. Pith. lib. 2. Aduerſar. cap. 2. Caſp. Barth. ad Rutil. Numatian. Itinerarium lib. I. v. 159.

Sequitur GALBAE nummus cum inſcriptione: QVADRAGENSVMAE REMISSAE. Apud Patinum in Caeſaribus pag. 126. alius obuenit, cui additum: QVADRAGESIMAE REMISSAE. Nam et Quadragenſumae dicebantur haec vectigalia, et Quadrageſimae. Nempe vt Graeci atque Aſiae populi decimas, ſic Romani Viceſimas et Quadrageſimas fisco pendebant. Erant autem aliae quadrageſimae litium, aliae quadrageſimae mercium, vt, poſt Spanhemium, BVRMANNVS in libro de vectigalibus populi Romani docuit, ad quem lectores remitto, vt eo citius perueniamus ad notabiliorem nummum, cum epigraphe VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA, quem NERVA imperator percuſſit. Mulae inſunt, quarum vna it, altera redit; aut, vt alii volunt, in paſtu libere vagantur. Vna ſarcinis onuſta: haſtis, vt opinor, et clypeis aut alio quodam bellico apparatu. Erat autem vehiculatio duplex, alia belli tempore, alia pacis. Illam neque voluiſſe, neque remittere potuiſſe NERVA videtur, quia plane neceſſaria. Nam bello graſſante vehicularium munus etiam immunes praeſtare coguntur. Tunc

Tunc sane, vt recentior poeta VANIERIVS canit:

Villicus arua colens, ab aratro auulsus, acerbis
Cogitur imperiis lassae comes ire coborti,
Auxiliumque viae curru subiungere tauros.

Itaque de altero vehiculationis genere nummus explicandus. Nempe magistratibus in prouincias ituris et legatis publice subministrabantur iumenta ad commeatum transportandum. LIVIVS *) eius rei testis: *Posthumius iratus Praenestinis, priusquam ab Roma proficisceretur, litteras Praeneste misit, vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publice pararet, vbi diuerteretur, iumentaque, qvum exiret inde, praesto essent. Ante hunc consulem, nemo vnquam sociis, in vlla re, oneri aut sumtui fuit. Ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua facien-*

*) Liuius lib. 42. cap. 1.

faciendum erat, imperabant; aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Nostra in lingua vehiculationes *Fuhren*, seu *Vorspannung* dicuntur, in legibus Codicis autem Angariae et Parangariae: *L. 2. C. de episc. et cleric. L. 13. C. de excus. L. muner. L. 2. et 21. C. de cursu publ. L. 2. C. de quib. mun. et praest. L. 2. C. de praepos. sacri cul. L. 10. §. 2. L. 11. ff. de vacat. et excus. mun. vlt. §. 12. de muner. et honor.* Differunt autem ab angariis parangariae hoc modo, vt illae praestari dicantur in via, vbi est cursus publicus; parangariae autem, si a via regia deflectatur, et iter per transversum aut obliqvum fiat. Syllaba in hoc verbo penultima producenda est, ob diphthongum *ει*, quia Graecis *αγγαρεια* coactio, et *angariare* cogere, quod verbum in *L. 4. ff. de veteran.* obuenit.

De parangariis plura dicere nihil attinet, quod autem angarias, siue cursum publicum spectat, is non semper prouincialium onus fuit, sed quibusdam temporibus simillimus hodierno Postarum, vt vocantur, instituto, nec fere discrimen aliud, nisi quod hoc proficuum fisco, illud vero onerosum et graue. Nos, quoniam *de cursu*

publico

publico in Codice peculiarem titulum habemus, de eo locum claſſicum, qui omnem eius rationem exponit, ex PROCOPII *) Arcana Hiſtoria latine verſum adſcribamus: *Priores Romani principes, vt quam celerrime ex nunciis recognoſcerent, quae qualibet in prouincia hoſtes molirentur, quae in ſingulis municipiis ſeu ſeditione, ſeu improuiſo quocunque caſu accidiſſent, quaeue praefecti ac reliqui praetores per Romanam ditionem agitarent, vtque annua vectigalia comportanda citra moram in tuto eſſent, publicum citumque curſum ita conſtituerunt: In via, quam diurno itinere expeditus viator conficit, octona ferme ſtabula, alicubi pauciora, infra quinque nusquam, poſuere. In ſingulis ſtabulis equi diſpoſiti ferme quadraginta, et ad equorum numerum ſtabularii. Ergo, quorum negotium hoc eſt, ii equis quam exercitatiſſimis, aliis aliunde ſuccedentibus, feruntur, curſuque diurno decem non nunquam dierum viam emetiuntur.*

MONV-

*) Procop. Anecdota circa finem p. 131. editionis primae.

MONVMENTVM CVI.

Traditio symbolica per Chirothecam.

De codice Nouellarum Iustiniani picturato *) cum mentionem supra iniecerimus, non iniucundum speramus lectoribus fore, si notitiam membranarum Iuris Saxonici hauriant, quibus rudes et imperitae monachorum manus seculo decimo et quarto, admodum quidem deformes, sed ob antiquitatem venerabiles, rerum iudicialium formas appinxere. Supersunt nimirum Speculi Saxonici codices, vt vocantur, Picturati quatuor: Dresdensis, Guelpherbytanus, Oldenburgensis et ille, quo bibliotheca GRVPENII superbit. Licet vero harum specierum aliquas vir rerum germanicarum peritissimus publicas fecerit, **) nondum tamen voto omnes deli-

*) Monumentum 87.


**) Grupen von Saechsischen Rechtsbüchern: Eiusdem Teutsche Alterthümer.

ad pag. 250.



CVI.





delineandi atque aeri incidendi ſeſe liberauit. Nos ex Guelpherbytano *) traditionem ſymbolicam per chirothecam, ſiue oblationem principi factam, oculis ſubiiciamus. Nempe traditiones, imo etiam promiſſiones, fiebant inter praeſentes oblata manu digitoque erecto, quae *manuales* **) et *manufirmationes* ***) dicebantur. Abſentes vero, cum dextram ſibi porrigere non poſſent, ſymbolo vtebantur atque chirothecas ſibi mittebant, quod iracundiores, cum ad certamen ſingulare alterum prouocant, adhuc hodie, more antiquo, ****) obſeruare ſolent.

Singulare eſt, quod gloſſator vetus ad librum tertium art. LXVI. Speculi Saxonici monet: *Auch mag man keinen Markt begen, ohn des richters urlaub. Ja, das ſolches des Reiches Wille ſey, ſol der Keyſer ſein* RECHT HANDZEICHEN, *deſſen zu urkund, in die Stadt ſenden, als du haſt in Weichbilden Rechte.* Hoc eſt „Non licet nundinas „inſti-

*) Pertinet haec pictura ad I. P. S. lib. 2. art. 24. in fine.

**) cap. 51. X. de ſentent. excom. et cap. 12. X. de majorit.

***) Capitulare Caroli Magni lib. 6. cap. 228.

****) Aeneas Siluius in Commentario de ſtatu Europae ſub Friderico tertio cap. 60. apud Freherum Tom. 2. Scriptor. Germ. p. 105.

„ instituere, sine iudicis consensu, imo, vt appa- „ reat hoc imperii ex voluntate fieri, oportet im- „ peratorem suam dextram chirothecam in vr- „ bem mittere, vt habes in iure municipali. „ Illud autem, quod laudat, ius municipale ita habet: *) *Man henket auch da des Königes* HENDSCHVCH *daran, durch das man sehe, das es des Königes Wille sey.* Alius est, qui huius rei mentionem facit Speculi locus, **) a Polono sic latine factus: *Nemini licet forum erigere vel monetam de nouo instituere, sine consensu eius loci ordinarii, seu iudicis. Etiam rex, in signum sui consensus, suam ad hoc mittere debet chirothecam.*

Traditiones autem per chirothecas factas esse, GRVPENIVS ex veteri charta docet, vbi: *super reliquias nostras cum chirotheca, sicut mos est liberis Saxonibus, tradidit.* Vt autem hodie scripturae traditionem confirmantes, ita olim chirothecae, si his interuenientibus res traditae fuissent, in tabulariis quae archiua vocant, asseruabantur, vt aliud diploma apud eundem docet: *Aduocatus eccle-*

*) Weichbild art. 9.

**) Spec. Saxon. lib. 2. art. 26.

ecclesiae chirothecam traditionis, *sacris reliquiis impositam*, *abstulit*. Haec traditio per manticas seu chirothecas in latinitate barbara dicitur *traditio per Wantonem*, aut: *cum Guanto*. Neque obueniens in Capitularibus regum Francorum *) *manumissio per hantradam*, vt iam alii viderunt, alia est, quam quae per chirothecam fit, nempe per *Handgeraethe*. Scilicet verbum Rade ornamentum aut vtensile significat.

MONV-

*) Capit. tertium anno 813. apud Gerogisch. p. 781.



MONVMENTVM CVII.

Feodum Ligium.

Non vere cusum, attamen a Societate Academica Inscriptionum, *) quae Parisiis floret, hac forma belle excogitatum atque inventum, LVDOVICI XIV. numisma exhibemus, in quo rex iuvenis cooperto capite in solio sedens CAROLI ducis Lotharingiae et Barrae manus implicatas tenet, vt in homagio ligio fieri consueuit. Post ducem arma ducatus Barrensis loquentia cernis, nempe duos barbones, qui pisces et mulli dicuntur. Inscripta verba: HOMAGIVM LIGIVM CAROLI LOTHARINGIAE DVCIS OB DVCATVM BARRENSEM, inferius annus MDCLXI. quo haec inauguratio contigit. Beneficium ligium autem, vt


*) Medailles sur les principaux evenements du regne de Louis le Grand, par l'Academie des Medailles et des Inscriptions.

ad p. 264.


HOMAGIUM LIGIUM CAR·LOTHAR·D·OB DUCATUM BARRENSEM
M·DCLXI·

CVII.


NAPOLI



vt vulgo definiunt, illud eſt, quod a domino, nullum ſuperiorem recognoſcente, conceditur ea lege, vt vaſallus opem ei praeſtet contra quoscunque, nemine excepto. *II. F.* 28. §. *contra omnes II. F.* 99. Nam, cum in caeteris beneficiis excipiatur ſuperior dominus. *II. F.* 55. quem oppugnare vaſalli non coguntur, facile patet, quare feodum ligium, contra omnes demerendum, tantum a ſupremo domino concedatur.

Implicare autem ſuas manus, cum inueſtitur homo ligius, in manus domini iubetur, quae conſuetudo in hoc pariter atque ſuperiori monumento, numero LXVIII. ſignato, luculenter expreſſa et in docta diſſertatione de feodis ligiis ab Illuſtriſſimo LVDOVICO SIGFRIDO, COMITE VICEDOMINO AB ECSTAEDT **) multis teſtimoniis demonſtrata. Sic apud BRACTONEM: *Debet quidem tenens manus ſuas vtrasque ponere inter manus vtrasque domini.* Idem illuſtriſſimus doctiſſimusque comes ex GALBERTO in vita B. Caroli haec exhibet: *Comes*

*) In Ienichenii Theſauro iuris Feod. Tom. 2. pag. 972.



Comes requisiuit, si integre vellet homo suus fieri? et ille respondit: volo, et iunctis manibus amplexatus a manibus Comitis.

Fuisse autem ducatum Barrensem beneficium ligium, cuius pos-sessores seruitia praestare domino aduersus quoscunque, nemine excepto, iurato promiserint, non solum CHIFLETIUS *) docet, verum ipsae etiam apud THEODORVM GOTHOFREDVM in Ceremoniali Franciae superstites formulae, **) quibus ANTONIVS et CAROLVS duces Lotharingiae, alter a FRANCISCO rege Galliae, alter a LVDOVICO XIII. ducatu Barrensi cohonestati fuerunt, clarissime loquuntur.

MONV-

*) Chiflet. in Commentario Lothariensi cap. 1.

**) Gothofred. Ceremonial de France Tom. 2. pag 664. et 673.

MONVMENTVM CVIII.

Lex Papia incerti argumenti, aut potius Papiria de ſuffragiis.

Non de lege Papia, ſed Papiria de ſuffragiis tabellaria, cum PAPI. vtrumque nomen indigitet, et Iuno Soſpita vtrique genti, tam Papiriae quam Papiae, communis ſit, *) nummum, quem exhibeo, interpretaturus eram, niſi SPANHEMIVM et VAILLANTEM conſuluiſſem, qui teſſeram illam capiti appoſitam legis Papiae tabulam arbitrantur. Qualis vero illa? Caeteris notior et a CAIO PAPIO anno vrbis conditae DCLXXXVIII. cum tribunus plebis eſſet, perlata, ne quis peregrinus

*) Vaillant. Nummi Fam. in gente Papiria, nummus I.

regrinus in vrbe esset et Latini in suas ciuitates redigerentur, nescio an satis gratiosa et diuturna fuerit, vt numisma mereretur, cum CICERO *) scribat: *Male etiam peregrinos vrbe prohibent, eosque exterminant, vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper.* Aliam ergo intelligere praestat, forte quam GELLIVS in libri primi capite duodecimo laudat, aut obliteratam aliquam, cuius nulla restat memoria. Leges enim innumerabiles Romae fuerunt, quarum ne quidem nomina scimus, aut etiamsi haec nota sint, tamen capita et argumenta ignoramus. Nonne autem Papiam Poppaeam celeberrimam illam nuptialem et caducariam significari credamus, quae legem Iuliam de maritandis ordinibus in melius produxit et quibusdam capitibus auxit? Vellem equidem lubentissime de hac accipere, si temporis ratio admitteret. Nam cum Papia Poppaea anno vrbis DCCLXII. sub AVGVSTO lata sit, neque tamen, vt in *L. 3. C. de vet. numism. pot.* dicitur, aeternalis eius vultus in nummo praesente appareat, libera adhuc repu-

*) Cicero de offic. lib. 3.

ad p. 258.



CVIII.



republica cuſum eſſe, vero ſimillimum videtur. Nempe iam illo tempore obtinuiſſe, vt imago imperatoris, certe nomen eius, nummis imprimeretur, alia, quae ſuperſunt, exempla ſatis et abunde declarant, qui deinde mos perpetuus fuit, vnde PRVDENTIVS: *)

En Caeſar agnoſcit ſuum
Nummisma nummis inditum.

Apud PAVLVM vero in Sententiis **) *vultu principum ſignata moneta* dicitur et apud CASSIODORVM libro ſeptimo Variarum, in formula XXXII. ſcriptum eſt: *Monetae debet integritas quaeri, vbi vultus noſter inprimitur. Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie?* Minutae huic tabellae appoſitum in nummo Iunonis Soſpitae caput, de qua CICERO: ***) *Soſpitam tu nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina.* Hanc Lanuvini inprimis coluerunt, vt ex eodem CICERONIS loco et verbis, quae deinde ſequuntur, cognoſcimus. Aut igitur, ad deſignandam originem Papiorum Lanuviam, haec dea

*) Prudent. Hymn. 3. Periſt. v. 95.
**) Paul Sentent. lib. 5. tit. 25. §. 1.
***) Cicero de Nat. deor. lib. I. c. 29.

dea nummo expressa, ad similitudinem exempli, quod supra in monumento XLVII. exhibuimus, aut quia Sospita gentis Papiae numen tutelare erat, aut quod huius templum quidam ex familia exstruxerat aut refecerat. Auersa nummi pars gryphem habet, non quasi insignia Papiorum familiaria (nam in caeteris eiusdem gentis numismatibus aliae notae obueniunt) sed vt designaret L. PAPIVS provinciam, quam ipse praeses regebat. Nec dubita Actium esse. Nam apud GOLZIVM, in Graecia, alius nummus obuenit gryphe signatus, inscriptusque ΑΚΤΙΩΝ. Igitur regionis haec insignia. Si familiaria quaeras, ecce adest vasculum seu tripos cum operculo Caccabus is dicitur, quod verbum in *L*. 19. ∫. 12. *ff. de aur. et arg.* vas ad coquendum significat. VARRONI caccabus vasculum dicitur, in quo pulmentarium aut pappa parvulis apparatur. Locupletiores plerumque argenteos caccabos habuisse, superius adducta lex Pandectarum declarat. Lepide autem, vt iam supra vidimus, *) ad sua nomina veteres

*) Monument. 23. 62.

teres interdum alludebant. Nempe apud PLAVTVM et PERSIVM *pappare* eſt ſumere pulmentarium, quod, vt locus eiusdem VARRONIS apud NONIVM grammaticum probat, Pappa dicebatur. Haec ſi noſtra nimis temeraria tibi coniectura videatur, age, pactione inita et quaſi tranſigendo, rem ita componamus, vt VAILLANTIS et SPANHEMII opinione penitus dimiſſa, mecum ad priſtinas cogitationes redeas, atque non de Papia lege, ſed illa tabellaria nummum accipias, quam C. PAPIRIVS CARBO anno DCXXI. pertulit, vt populus non voce, ſed tabella ſuffragia ferret, in qua cum quaſi arx libertatis Romanae poſita eſſet, ipſa digna viſa, vt rei tam gratioſae memoria nummis ſaepius repeteretur.

MONVMENTVM CIX. ET CX.

De Ornamentis galearum scutorumque frondosis.

Insignium doctrina, quae Heraldica dicitur et ipsa iuris quaedam accessoria pars est, de laciniis siue fasciis, quas Galli *Lambrequinas*, Germani *Helm-Deken*, alii galearum cappas siue clypeorum pallia appellare solent, varie tractat. Plerisque haec armorum, vt dicuntur, pallia videntur tegumenta fuisse, quibus aduersus solis, pluviae et aëris iniurias scutum milites galeamque inuoluerent. His nullo modo adsentior, sed potius ea pro meris ornamentis habeo, quae ex leui serico aut ex eo, quod nostri *Zindel* vocant, facta, e supremo galeae vertice libere defluebant, vt, cum venti illa varie ludificarent, pulchrum oculis spectaculum,

equiti

ad pag. 262.



CIX.



CX.



equiti autem decus conciliarent. Hoc ex monumento CIX. clarius intelligitur, quod principem Galliae cum duce Burgundico in ludo equeſtri certantem ſiſtit.*) Idem ex ſigillis medii aeui, ex quibus monumentum CX. **) ſiſtimus, facile probatur. Neque tamen primus vſum huiusmodi laciniarum diuinando detexi, ſed jam RINKIVS ***) eos refutauit, qui frondes atque flores, quibus nunc pictores arma nobilium picta circumdare ſolent, ex hiſce quaſi palliis, enſium et haſtarum ictibus, vt ſibi fingunt, laceris, deducere conſueuerunt. Tametſi enim non nego, vt in vexillis, ita in teguméntis armorum glorioſum fuiſſe, ſi peſſime fuerint telis perforata, vt etiam haec ſanctius quam noua aſſeruarint, tamen vix credo haec vulnera et hoſtilitatis argumenta pictorum quadam fingendi temeritate, in frondes fuiſſe et flores con-

*) Deſumtum hoc ex Vulſonii Thaatro Honoris Tom. I. pag. 49.

**) Praeſens ex Heineccio de Sigillis Tab. XI. num. I. delineauimus.

***) Rink diſp. de eo quod iuſtum eſt circa galeam §. 10.

conuerſa. Fuerunt enim illae laciniae ſemper, vt nunc ſe habent, opere Phrygio pictae. Initio tamen non tantae amplitudinis, ſed leues tantum et volitantes flammulas fuiſſe, facile concedo. Scilicet pedetentim creuiſſe videntur, quemadmodum et noſtris temporibus alia veſtium ornamenta in maius expandi et dilatari ſolent.

MONVMENTVM CXI.

Suum cuique.

Cum in nulla re magis aequitas ſpectetur, quam in moneta, quemadmodum in ſuperioribus monumentum LXXXIX. ſatis et abunde declarauit, laudanda ſunt FRIDERICI Brandenburgenſis, qui deinde primus rex Boruſſiae coronatus eſt, aurea verba nummo argenteo, quem Ioachimicum dicunt, inſcripta: SVVM CVIQVE. Sane, ſi dignitas monetae diminuatur, omnia quoque pretia ſpecierum creſcere, neque ſuum cuique tribui, Imperatores VALENTINIANVS et VALENS recte monuerunt. *L. 2. C. de vet. numism. poteſtate.* Sed haec omittimus prae gaudio haud vulgari, nos primum iuris totius principium in nummo obſeruaſſe. Etſi enim VLPIANVS tria iuris praecepta commemorat: *Honeſte viuere, alterum non laedere et ſuum cuique tribuere*, tamen horum vnumquodque ita in duobus reliquis continetur, vt qui ſuum cuique

 tribuat,

tribuat, etiam honeſte viuat, neque vlli noceat. Caeterum verba in orbe Ioachimici ſcripta ita legenda eſſe: *FRIDERicus III. Dei Gratia Marchio Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archi - Camerarius ET ELECTOR*, in auerſa autem, eius inſignia exhibente, quibus pileus electoralis impoſitus, litteras I. C. S. nomen fabri denotare, fere ſuperuacaneum monuiſſe.

MONV-

ad p. 266.





CXI.



MONVMENTVM CXII.

Ad titulum Codicis de precibus Imperatori offerendis.

In hoc Codicis titulo, inter alia HONORIVS et THEODOSIVS Augufti omnibus fupplicandi licentiam permittunt, fine discrimine, vtrum ferui an liberi fuerint? nec requiri volunt, per quem preces oblatae fint. Hanc animi maximi generofam ac popularem celfitatem, cum regnum adolescens iniret, LVDOVICVM MAGNVM Franciae regem imitari ftuduiffe, nummus docet ab Academia Infcriptionum excogitatus, in quo vidua cum pupillo et pauperculus fenex fupplicant, addito lemmate: FACILIS AD PRINCI-

PEM

PEM ADITVS. Fallor, aut huic epigrammati occasionem dederunt CALLISTRATI *) verba: *Obseruandum est ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem se praebeat, sed contemni non patiatur.*

MONV-

*) L. 19. ff. de offic. praesid.

ad p. 268.



CXII.



MONVMENTVM CXIII.

Traditio aedium per oſtium.

In codice Guelphebytano *) Speculi Saxonici picturis admodum rudibus et invenuſtis, exornati dicamne an deformati? mittitur quis a iudice in poſſeſſionem aedium hoc modo, vt praeſente ſcabino ſeu praecone apprehendat illarum oſtium. Iudex autem, quem mitella deſignat, ideo appoſitus, quod bona immobilia non aliter, quam in iudicio, tradi poterant. Non hic Germanis proprius mos, ſed communis olim omnium gentium, nam et Graecis eundem placuiſſe VERPORTENIVS in libro de Inueſtitura Allodiorum §. XI. quibusdam auctoritatibus confirmat. Apud Romanos autem res mancipi, inter quas praedia Italica, tam ruſtica, qualis eſt fundus;

*) Grupenii Teutſche Alterthümer pag 9.

fundus: quam vrbana, qualis domus, abalienari valide non alio potuisse modo, quam per mancipationis ritum, coram quinque testibus, populum (si fabula vera) referentibus, aut per cessionem in iure, nemo facile ignorat. Cessio autem quomodo facta sit, ex BOETHIO, ad Topicorum Ciceronis librum tertium, disce. Nempe is, cui res in iure cedebatur, glebam tenens ita vindicabat: Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, eum ego ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic ita vindicasset, praetor interrogabat eum, qui cesserat, an contra vindicas? Quo negante aut tacente, praetor tunc ei, qui vindicaverat, rem addicebat, quae legis actio dicebatur: in iure cessio.

MONV-

CXIII

ad pag. 270.



MONVMENTVM CXIV.

In orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini ciues Romani effecti ſunt.

Corona ciuica ex quercu plexa quibus data ſit, ex Ouidio *) notum:

Cauſa ſuperpoſitae ſcripto teſtata coronae
Seruatos cives indicat huius ope.

Singulare igitur civicam coronam Senatum Populumque Romanum decreviſſe Antonio Pio AMPLIATORI CIVIVM. Quae verba cum adſpexeris, nonne tibi *Lex* 17. *ff. de ſtatu hom.* in mentem veniat, in qua VLPIANVS: *In Orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione imperatoris*

*) Ouid. lib. 3. Triſt. eleg. 1. v. 47.

ratoris Antonini ciues Romani effecti sunt. Grata lex omnibus, etiamsi iam vicesimae soluendae essent, gentibus. Nempe per hanc

Distantes regione plagae diuisaque ponto
Litora conueniunt nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum; nunc per commercia et artes
Ad coetum celebrem; nunc per genitalia fulcra
Externi ad ius connubii. *)

Ipse quidem EZECHIEL SPANHEMIVS inspecto nummo haesitabat, anne ex eo probari possit, auctorem huius constitutionis ANTONINVM PIVM fuisse, re tamen accuratius pensitata, neque PIVM, neque MARCVM ANTONINVM, sed ANTONINVM CARACALLAM hanc legem iussisse pronunciabat, fultus potissimum DIONIS *in Excerptis* auctoritate, cui GERHARDVS NOODTIVS ad Pandectas et PETRVS BVRMANNVS in libro de Vectigalibus populi Romani, deinde plures subscripsere. Contra vero Iustinianus in Nouella LXXVIII. capite quinto eam legem PIO tribuit his verbis: *Facimus autem nouum nihil, sed egregios ante nos imperatores*

*) Prudentius aduersus Symmachum II. v, 612.

ad pag. 272.



CXIV.



tores sequimur. Sicut enim ANTONIVS PIVS *cognominatus (ex quo etiam ad nos haec appellatio peruenit) ius Romanae ciuitatis, prius ab vnoquoque subiectorum petendum et ita ex iis qui vocantur Peregrini, ad Romanam ingenuitatem reducens, hoc ille omnibus in commune subiectis donauit.* Haec IVSTINIANI verba DIONI hoc modo LVDEVIGIVS *) conciliare studuit, vt inter ius ciuitatis indultum et imperatum distingueret. *Donauit* PIVS, ait, *non obtrusit illud nolentibus decimationis causa, quod postea fecit* CARACALLA. Vtcunque ea res se habeat, tamen hoc saltim ex numismate clare et palam elucescit, ante ANTONIVM CARACALLAM iam ANTONIVM PIVM pluribus non ciuitatibus tantum, sed integris prouinciis ius ciuitatis dedisse. Neque fere imperator Romanorum vllus, qui non erga quasdam gentes, dato ciuitatis iure, se liberalem praebuerit, vt vix CARACALLAE opportuna vlterioris beneficii facultas superesset. MAECENAS in oratione ad Augustum, quam libro septimo DIO CASSIVS commemorat, iam suasor

*) Ludwig disp. de Albinagio cap. 9. §. 3.

ſuaſor OCTAVIO, vt omnibus populis, iis etiam, qui extra Italiam eſſent, ciuitatem largiretur, Romamque faceret vnam omnibus patriam. CLAVDII vero conatus ex SENECAE acerba, quam de morte Claudii Caeſaris ſcripſit, ſatyra diſcimus, in qua CLOTHO: *Ego me hercule,* inquit, *puſillum temporis adiicere illi volebam, dum hos pauculos, qui ſuperſunt, ciuitate donaret. Conſtituerat enim omnes Graecos, Gallos, Hiſpanos, Britannos togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen relinqui, et tu ita iubes fieri, fiat.*

MONV-

MONVMENTVM CXV. CXVI. ET CXVII.

Leges Coelia et Caſſia tabellariae, Tribunal, Libertas.

Quem ſuperius, *) cum de lege Caſſia ageremus tabellaria, nummum praetermiſſimus, eum primo loco adducimus, cum Libertatis imagine iam ex alio nummo **) lectori cognita. Nempe ſuffragiis, ob circumſtantem patronorum aliorumque potentium turbam, plebi non ſatis liberis, tacita tabella hoc incommodum ſuſtulit, vt CICERO ***) non immerito Caſſiam legem *vindicem tacitae libertatis* appel-

*) Monumentt. 38.
**) Monumentum. 6.
***) Cicero Agraria 2. cap. 2.


appellasse videatur. Sequitur alius nummus cum tribunali, *) in quo sella posita curulis. Ad sinistram A. C. hoc est *Absoluo Condemno*, ad dextram, quemadmodum et in priori numismate, vrna spectabilis. Nam aut in cistam aut vrnam tabellae mittebantur. *Quaero ex te*, inquit CICERO, **) *num quis reus post vrbem conditam in tribunal sui quaesitoris adscenderit, eumque deturbauerit, subsellia dissiparit*, VRNAS *deleuerit?* Allusit ad morem Romae vsitatum, nescio an satis bene, VIRGILIVS: ***)

Nec vero hae sine sorte datae sine iudice sedes.
Quaesitor Minos VRNAM *mouet, ille Silentum*
Consiliumque vocat vitasque et crimina discit.

Tandem in monumento CVII, C. COELIVS CALDVS consul adest auctor legis Coeliae, appositis litteris L. D. hoc est: *Libero Damno.* Nam, cum lex Cassia tantum de magistratibus creandis et legibus ferendis, non autem de iudiciis publicis egisset, adeoque in perduel-lionis

*) Vide supra Monument. 6, et 7.
**) Cicero in Vatin. cap. 34.
***) Virgil. Aeneid. lib. 6. v. 431.

ad p. 276.



CXV.



CXVI.



CXVII.









lionis quaestione populo vocis suffragium reliquisset, hic COELIVS, homo iracundus, vt C. POPILIVM, quem huius criminis propterea, quod is turpi foedere in Gallia cum hostibus conuenisset, publice accusauerat, eo certius opprimeret, huic iudicio et liberantem et damnantem calculum concessit. Neque enim semper A. C. sed etiam obuias in nostro denario litteras, tabellis inscriptas fuisse, vel ex IVLIO CAESARE*) colligi potest, vbi refert, censuisse quosdam tabellas duas ad iudicandum dandas esse: *nempe unam fore tabellam, qua* LIBERANDOS *omni periculo censerent, alteram, qua capitis* DAMNARENT. Legis Coeliae igitur, vt stilum contraham, argumentum hoc fere arbitror fuisse: IN PERDVELLIONIS PVBLICO IVDICIO ITA VTI IN LEGIBVS FERENDIS MANDANDISVE MAGISTRATIBVS POPVLO TABELLAE SVFFRAGIVM ESTO.

Totum vero illud tabellarium institutum in judiciis publicis, si non ab Ostracismo Atheniensium


*) Caes. de Bello ciuili lib. 3. c. 83.


ſium ortum eſt, huic tamen admodum ſimile, videtur cuius nomen ab oſtraco, calculum ſiue teſtam ſignificante. Oſtraca in comitiis viritim dabantur, in quibus vnusquisque potentis cuiusdam, quem vrbe cedere cuperet, nomen inſcribebat. Praeerat his comitiis magiſtratus, qui vniuerſos calculos recitabat.


Apud Romanos vero inter omnes tabellarias leges prima Caſſia quo gratior plebi, eo magis inuidioſa patribus, qui inconſultam temeritatem multitudinis et ſuffragii licentiam taciti, in cauſis optimatium, pertimeſcebant.

MONV-

ad p. 278.


SCAEVVLA
P·MVCI·P·F·Q·N·
CXVIII.


C·IVLI·CAESAR·DIVI·F·POT·III·VIR·ITER·R·P·
M·COCCEIVS
NERVA·III·VIR
CXIX.


IMP·CAESAR·DIVI·F·COS·IX·VIII·AVGVSTVS·T·VIII
M·COCCEIVS·M·F·NERVA·III·VIR
ASI
EVR
AFR
S·P·Q·R·
CXX.





MONVMENTVM CXVIII. CXIX. ET CXX.

Publius Mucius Scaevola, Cocceius Nerva pater et filius.

P. MVCII SCAEVOLAE, cuius in *L.* 2. ʃ. 39. *ff. de orig. iur.* mentio, vitam, honores et iuris ciuilis prudentiam cum copiose enarrauerit VAILLANTIVS,*) mortem autem PLVTARCHVS, qui *in Sulla* ſcribit, tantum virum morte pediculari obiiſſe, de eo plura commemorare ſuperſedeo, nec praeter denarium quicquam addo, in cuius vtraque parte HERCVLES, hic caput, illic luctans cum leone, prope claua cum arcu et pharetra. Qui ſequitur nummus M. COCCEIVM NERVAM patrem, iuris-

*) Vaillant. Famil. T. 2. p. 146.



iurisconsultum TIBERIO imperatori carissimum, *L.* 2. *§.* 47. *ff. de orig. iur.* etiam monetae praefuisse, monstrat. Filium is habuit cognominem, qui septendecim annorum puer de iure responsitauit, *L.* 1. *§.* 2. *ff. de postul.* atque nominis gloriam, a patre hereditario iure acceptam, non solum doctrina et scriptis a sectatoribus saepe laudatis, verum etiam in numismate, quod vltimo loco delineari curauimus, maxime autem eo ampliauit, quod NERVAM imperatorem genuit.

FINIS LIBRI SECVNDI.

REPER-

REPERTORIVM LEGVM
IN HIS DVOBVS LIBRIS ILLVSTRATARVM.

EX INSTITVTIONIBVS

EX PANDECTIS.

L. 1.

EX CODICE REPET. PRAEL.

EX NOVELLIS.

EX COD. THEODOSIANO.

EX DECRETO GRATIANI.

EX DECRETALIBVS.

EX SEXTO.

EX EXTRAVAGANTIBVS.

EX



EX IVRE FEODALI.

EX SPECVLO SAXONICO.

SPECVLVM SVEVICVM.

WICHBILDVM.

LEGES ALEMANNORVM.

LEGES LONGOBARDICAE.

AVREA BVLLA.

EXPLICIT.



An den Buchbinder.

Die halben Bogen Kupferstiche müssen in vier Octav-Blätter zerschnitten, und der Länge nach, wie die beygestochene Pagina (ad pag.) anweiset, noch ehe das Buch geheffret wird, eingehänget werden. Solche Kupferstiche etwa alle zusammen hinten anzuheffen, gehet gar nicht an, weil sonst dem Besitzer das ganze Buch verderbet würde. Diejenigen Blätter, so ein wenig breit gerathen, werden ganz hintergerückt, damit bey dem Beschneiden kein Schade geschiehet. Die größern einzuschlagen oder zu brechen würde ein Fehler seyn, sondern auch diejenigen, so breiter als die übrigen ausgefallen, müssen so weit hintergerücket werden, daß es keines Einschlagens oder Brechens bedürffe.

(Nota. Dieses Blat wird abgeschnitten.)